Orationis parte, numeros negligunt.
Contra Poetae sera quos aetas dedit,
Omitto quaerere an Poetae, an Musici,
An Musicorum strepera mendicabula:

Nam sint ne, ciccum, nec ne, non interduim —
Illi igitur, inquam, seu Poetae, sive non,
Satis modorum diligentes, ceterum
Sermonem iniquo pensitant examine.
Lasciviaque non ferenda, nescii
Qua prisci honoris parte servetur tenor,
Graii cothurni nobilem, catam, gravem,
Tubae virilis intonatam incentibus,
Nervis adultam et viribus Tragoediam
Deartuarunt voce languifici soni
Orationis nuperae novitiae,
Stilo pedestri et femininis naeniis.
Homunciones hoc venustuli et cati
Sibi videntur, hoc beati ac divites,
Suadaeque alumni et Venerii nepotuli:
Adeoque positum vel sibi in medio putant
Tractanda in arte Musica palmarium.
At Gratiarum pectus abstrusum, optimus,
Docte expolitus, atque liberaliter
Instructus omni literarum copia,
Poeta noster inter hos medium ferit.
Veterum neque illi ignava negligentia
Placet, aut novorum obscura diligentia.
Florem leporis Scaenici, atque Musicae,
Utroque numeris temperavit et stilo,
Priscis Poetis comtior, melior novis.
Nunc ego, quid adsum, quamve rem veni, eloquar.
Favete linguis vos, et animum advortite.
Desmota Graeca est Aeschylu Tragoedia;
Poeta noster vertit illam barbare:
Illamque opimam et uberem facundiam
Et scriptione est assecutus et stilo:
Ut ne quid inibi possit invenirier
Errore omissum, sive perperitudine.
Hanc ergo vobis fabulam e vetere novam
Adporto. tantum est. vos valete et vivite.

2. *In Ioannis Bonnefonii Poemata.*

Prodite aurea scripta Bonnefoni,
Prodi candida Musa Bonnefoni,
Ut doctis etiam Italis pudorem
Imponas, quibus in Poetica assis
Non est Gallia terra: namque solis
Romuli popularibus Remique
Musarum attribuunt salem atque gustum;
Ut quorum patrios utrinque fines
Infernas mare cingit aut Supernas.
Nos vappae sumus, atque Apollinares
Lixae Musica castra pervagantes,
Quos nec Italis aura vagientes
Primum adflaverit, aut Latina mamma
Lac immulserit humidis labellis.
Tu contra Ausonios pereleganti
Doctos carmine provocas Poetas.
Sic est; materies boni Poetae
Merx est publica, quam Dii benigni
Vendunt omnibus improbo labore.
Hanc cui non lubet esse negligenti,
Docta Musicae in artis officina
Sub incude laboris usque tundens
Sese fabricat et sui artifex fit:
Nec Romae satis est fuisse natum;
Nam fit, non modo nascitur Poeta.

3. *In Poemata Iac. Cortinii Cissaei.*

Iam sibi decus arrogarat ingens
Tellus Itala literis et armis;
Cum tandem caput efferens tenebris
Illi praeripuit decus duelli,
Solas Gallia literas reliquit.
Diu constitit haec utrique palma,
Diu laude sua, sua palaestra,
Suo munere functus est uterque,
Gallus maximus hoc, Latinus illo;

Galle fortis eras, Latine doctus:
Galle miles eras, Latine vates.
Donec Gallia terra tempore uno
Plures edidit aureos alumnos,
Doctos Phoebicolas, bonos Poetas,
Quam nec Itala seculis trecentis.
Et Cissaeus in his locum tuetur,
Siren Gallica seculi eruditi:
Non solum patrias colens Camoenas,
Sed Phoebi celeber cliens Pelasgi;
Et Musis caput Italis amicum:
Per quem non modo Tibridi vetusto
Clarum praeripuit decus duelli;
Sed nec Gallia literas reliquit.
Salve Gallia clarior Camoenis
Prisco Tibride, clarior duello:
Tanto Gallia clarior Camoenis,
Quanto clarior antea duello.

4. *In novam editionem Paraphrasis Buchanani in Psalmos, quam Alex. Morison, sororis ipsius filius procuravit.*

Ista, Caledonii vertit quae Musa Poetae,
  Iam prius Hebraea carmina culta lyra,
Typographi primum foedis damnata lituris,
  Vati nuper erant inficianda suo.
Excoluit Morison, et doctus avunculus illis
  Quod dederat, non est passus abesse decus.
Gaudete, o summi vatis, pia numina, Manes,
  Si bene cognati vos benefacta iuvant,
Nunc opus hoc, Morison quod luminis edit in oras,
  Vestrum est; Typographus fecerat ante suum.

5. *In Scaevolae Sammarthani Poemata, ad Chrysaeum.*

Scaevola si cultis mulcet tibi versibus aures,
  Dum tua mens docti pendet ab ore viri:
Si lepidae blandis inhiant tibi mille puellae

Eloquiis, animo quae sitiente bibis:
Cur felix mecum esse cupis, Chrysaee? quid ultra
Quo caeli tangas sidera summa, petis?
Ille tenet caelum, cui praestant mille puellae
Mille Deas, unus Scaevola mille Deos.

6. *In Petri Launaei librum Gallicum de Prodigiis.*
Non igitur Natura potest, Launaee, iubere
Sola novis miram rebus adesse fidem:
Quandoquidem una novis audet se tollere linguae
Laudibus, eloquii fida ministra tui.
Quippe immensa canens, mirandaque foedera rerum
Non potuit tanti parte carere loci.
Quae si quanta canit, tot habet miracula vocis,
Et tot honorata pignora laude capit:
Caetera quantus honos Naturae mira parentis
Supra Naturae munera posse loqui?
Anno 1571.

7. *De scriptis Io. Boisselli I. C.*
Civica saepe gerens dubiis pro litibus arma
Pictonico obtinuit praemia summa foro:
Et nunc idem alias porro conversus ad artes
Scribit quae passim Gallia tota legat:
At nunquam cessans, et ad omnia magna paratus
Boissellus patriam voce librisque iuvat.
Sed tantum voci praestabunt scripta disertae,
Quantum Pictonico Gallia tota foro.

8. *In Specimen vetustissimae Getarum Linguae Bon. Vulcanio editore.*
Naso Tomitanae didicit vetus incola terrae
Barbara Romanis nectere verba modis.
At tu docturos gentem sua verba Latinam,
Vulcani, gelido promis ab axe Getas.
Contingit nostro, quod nulli contigit aevo,
Vertere Hyperboreo dicta Latina sono.

Nec facere hoc poterat, quod Naso fecerat olim,
  Quam qui Nasonis corque animumque gerit.

9. *Ad Phoebum de Io. Meursio edente Lycophronem.*
Antra cothurnati penetrare Lycophronis ausus,
Maturus studiis, sed vix egressus ephebi
Vesticipes annos, et limina puberis aevi,
Meursius has virides segetes, messisque futurae
Primitias, dat, Phoebe, tibi pro tempore: ubi aetas
Hunc firmata virum perfecerit, accipe messem.

10. *Iu Lucilii Fragmenta collecta et edita a Francisco Dousa.*
Quod doctos laceri Lucili colligit artus,
  Membra suis reddens singula quaeque locis,
Quae Ciceronis erat, Iuvenis nunc civica Dousae;
  Quin maior Dousae, quam Ciceronis erit.
Eripuit facibus Catilinae Tullius urbem:
  Restituit cives hic tibi Roma tuos.

11. *In Martianum Capellam editum ab Hugone Grotio.*
Hugo soboles Grotius optimi parentis,
Qui limina nondum tetigit puberis aevi,
Sed mente senili teneros praevenit annos,
Magnum meditans, auspiciis noluit illis
Praeludere, quae vesticipum postulat aetas;
Sed maluit a grandibus inchoare coeptis.
Nam qui penus est, omnis et arca disciplinae,
Sed quem horridulum iniuria squallore vetustas
Omni studiorum nitido abdicarat usu,
Illius ab incude profectus, atque amoeno
Splendore micans, purpurea veste decorus
Cultusque novo pumice Martianus exit.
Cernisne ut ovantem lepido flore iuventae,
Commendet eum gratia luminis recentis?
Quam sive habuit, restituit Grotius illi;
Seu non habuit, contulit hanc Grotius illi.

12. *Ad Bataviam, Petri Molinei nomine Scaliger.*
Ocelle magni Belgii Batavia,
Quam non referre gratiam possum tibi,
Tuis volebam laudibus rependere,
Ingratus esse ne viderer saeculis.
Nam cui modis sis obligatus plurimis,
Illiberale est non referre gratiam.
Maiora rursus merita cunctis laudibus
Deterere parco carmine, arrogantia est.
Utrique cautum sat rei visum est mihi,
Grates referret si meam vicem tibi
Laudatio ista, cum pudore plurimum
Habens amoris, arrogantiae nihil.

13. *In Lamberti Vander-burchii Historiam gentilitiam Ducum Sabaudiae.*
Dum generis seriem dat Vander-burchius orbi,
Atque Sabaudorum fortia facta Ducum:
Historico Herois a manibus, ambigo, vel laus
Manibus Herois maior ab Historico.
Quod si non una, si non aequalis ab omni,
Sed laus laudati maior ab ore viri est:
Si maius nomen Smyrnaei musa Poetae,
Quam tua nobilitas fecit, Achille, tibi:
Gaudete in caelum propria virtute recepti
Et genere et gestis inclita turba Duces,
Queis magnum generis decus est a stirpe vetusti,
Maius ab Historici nobilitate sui.

14. *In Annales Hollandicos Iani Dousae.*
Sunt quibus aeternos peperit vis mentis honores,
Traiani medio quum nituere foro.
Praemia magna quidem, merito sed simplice, et uno
Hic titulo Historici, Vatis at ille tulit.
Sed quia Dousiades Annalibus eruta priscis
Imparibus cecinit gesta Batava modis,
Et nunc ille eadem saeclis miranda futuris

Concepit tereti lege soluta pedum;
Vatis et Historici fuerat quae singula magnum
Accipere, hic unus praemia iuncta feret.

15. *In Suetonium ab Isaaco Casaubono editum.*

Imperii procerum T[r]anquilli condita libris
Gesta vetustatis obsoluere situ.
Caesaribus patriam dederat nomenque genusque
Tranquillus: lucem reddidit Isacius.
Tradere res gestas aevo, non ultima laus est:
Caesaribus lucem reddere, Caesareum est.

16. *In Macrobium Io. Isacii Pontani.*

Pristinus auspicio Pontani redditus est nunc
Macrobio cultu sub potiore nitor.
Gaudete o veterum scriptorum naufraga turba,
Si quos Macrobii docta papyrus habet.
Hanc per Macrobium vitam spirabitis olim,
Quae per Pontanum reddita Macrobio est.

17. *In Auriacum Danielis Heinsii.*

Melpomenae sacrum facit Heinsius. ore favete,
Dum quatit Aeschyleo pulpita picta pede.
Cede Sophoclaei carmen regale cothurni;
Cedite Cecropiis plausa theatra choris.
Principis ille vicem subitam, strictumque dolose
Non exspectato fulmen ab hoste canit,
Et fixum in patria dum figitur in Duce, vulnus.
Hanc tibi nulla dies tollet, Ibere, notam.
Grandiloquisque Heinsi numeris, quae dedecus una est
Mors tibi, Nassovio vita perennis erit.

18. *In Balduini Berlicomii Hierosticha.*

Carmina Berlicomi non vano sublita fuco,
Sed castum, et purae sunt Pietatis opus.
Ipse quidem poterat votis maioribus usus
Alta Maronea verba sonare tuba:

Sed comi non fas alienis cultibus illud[,]
  Quod comit Pietas cultibus ipsa suis.

19. *In Elegias Danielis Heinsii.*

Peste sophistarum, seclique afflata veneno,
  Pieridum invisam turba reliquit humum.
Et tibi grata tamen coeptis audacibus, Heinsi,
  In media surgunt carmina barbaria:
Queis sua postponat quem protulit Umbria vates:
  Et quae Pelignus dixerit esse sua:
Non secli vitio primos moritura sub ortus,
  Sed doctas inter vivere certa manus.
Gratior ut namque est quam quas ver educat almum,
  Quae medio Brumae sidere nata rosa est:
Sic magis hic foetus, quam quos vetus edidit aetas,
  Virtutum hoc sterili tempore gratus erit.

20. *In Poemata Dominici Baudii.*

Si quos est olim, Baudi, mirata vetustas
  Dulcibus implentes docta theatra modis,
Emissi tenebris post secula multa poetae
  Elysii linquant blanda vireta soli,
Ingeniique tui felicia pignora sumant
  Versus, quos hilari non nisi fronte legent:
Hos ratio alterutrum subiget, vel utrumque fateri,
  Se didicisse tuos, te docuisse suos.

21. *In Iani Dousae Echo.*

Non sola Aonidum blandissima turba Sororum
  Certat ad obsequium, maxime Dousa, tuum.
Addit se comitem, trepidisque supervenit Echo,
  Sive haec ambitio, seu pietatis opus.
Sola tibi tacitoque tacet, loquiturque loquenti,
  Ad domini voces prompta ministra sui,
Immortale sacris respondens carmen ab antris,
  Quae cum Pierio struxit Apollo choro.
Quid non divinum, quid non laudabile dicat

Versiculis spirans vox animata tuis?
Accepit dios a te, quos redderet, illa,
A Phoebo acceptos reddis ut ipse sonos.

22. *In Inscriptiones antiquas Iani Gruteri.*
Cadmeas iactet cur mendax Graecia turres,
Aut Amphioniam saxa secuta lyram?
Aspice, quod surgens non parva mole theatrum
Gruteri struxit daedala cura mei.
Usque pererrato terrarum fine petitus
Cernitur ex omni plurimus orbe lapis.
Armorum hic titulis, ille est incisus honorum:
Consulis hic fulget laudibus, ille ducis.
Nobilium decorum custos, Grutere, Vetustas
Explicuit census in tua vota suos.
Scripta tot elogiis, tot dissita sedibus olim,
In titulos laudis nunc coiere tuae.

23. *In Abrahami Gorlaei Dactyliothecam et Gemmarium.*
Sicut ab anellis lapides, et flava sororum
Transferre in calices succina ludus erat:
Sic e thesauri medio Gorlaeus in istum
Has gemmas librum transtulit ipse sui;
Ut quae vix poterant auri mercede parari,
Has vili partas Lector haberet opes.
Musae, quae doctis scriptoribus atque libellis
Et decus et laudem praemia rara datis,
Gorlaeo e vestris gemmis properate coronam.
Sin minus, e gemmis instruat ille suis.

24. *In priscos Titulos et Monimenta Brabantiae a Franc. Sweertio cive Antwerpiensi collecta.*
Quaecunque in patriae penetralibus abdita priscis
Vel saxis poterant caesa, vel aere legi,
Quae nulla utilitas, non gratia certa manebat,
Dum sparsa in variis sedibus illa iacent,
Sweertɪ cura legens corpus conduxit in unum,

Ex tam diversis iussa coire locis:
Qualiter Aegides, ut Athenae surgere possent,
Dicitur ex omni parte citasse viros.
Nec minus a Titulis, Sweerti, tibi gloria parta est,
Quam Titulis a te conciliatur honos.
Nam vita functis vitam Monimenta dederunt.
Ast vitam debent nunc Monimenta tibi.
1607 XV Kal. Maii Iuliani.

25. *In Fr. Ulmi Medici libellum De Liene.*

Οὔλμος ἰδὼν κατὰ θυμὸν ἀμύμονας υἷας ἰητρῶν
Τυφλοσύνῃ πραπίδων, καὶ νοὸς ἀμφασίῃ
Πάντας σπληνιόωντας, ἰήσατο, ῥίμφα δ' ἰητρῶν
Ἐν φρεσὶ τὴν χρονίην νοῦσον ἀκεσσάμενος
Ἱπποκράτην τὸν θεῖον, ἀμώμητόν τε Γαληνὸν
Τῶν τ' Ἀσκληπιαδῶν φῦλα παλαιγενέων
Ἰδμοσύνῃ μάλα πάντας ὑπερβλήδην ἐκέκαστο.
Οὔλμος ἐνίκησεν πάντας ἀκεστορίῃ.
Οἱ μὲν τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ἔμμεν ἰητροὶ
Στεῦνται, ὁ δ' ἰητρῶν Οὔλμος ἰητρὸς ἔφυ.

Idem Latine.

Perplexos medicos doctissimus Ulmus, ut illis
Coeperat a caeca mente tumere lien,
Aspexit, morbi purgavitque illius. Ergo
Antiqua ut mentis febre levavit eos,
Hippocratem divinum, intacta et laude Galenum,
Atque Asclepiadum saecla vetusta virum
Arte salutifera victor supereminet omnes,
Omnes et medica praeterit Ulmus ope.
Namque aliorum illi sanandis artubus aegris
Sunt medici. His medicas attulit ipse manus.

26. *Paullo Merulae Q. Ennii Annales edenti.*

Ὦ λιπαρὸν πόδα πρῶτος ἐπ' ἀστιβὲς οὖδας ἐρείσας
Ἰταλικῆς Μούσης Ἰταλὲ Μαιονίδη,
Ὡς ἄρα προφρονέως μάλα λεύσσομεν, Ἔννιε, λήθης
Καὶ Στυγὸς ὀρφναίους νῦν σε λιπόντα πόρους.

Καίτοι ἀΐστωσαν τά τε λείψανα, τάς τε ἀοιδὰς
  Σεῖο πάλαι θάνατος καὶ χρόνος αἰνοβίης.
Νῦν σε τὸν ἄρτι νεκροῖς ἐναρίθμιον ἴδρις ἀοιδῆς
  Αὐσονίης Μερόλας ἐξ ἀΐδαο δόμων,
Ὡς Φοῖβος τὴν παῖδα Κορώνιδος ἦγε φόως δε.
  Ὦ μέγα τοῦ πότμου θαῦμα παλιμπετέος.
Ἔννιος ἐκ ταώ, κᾆξ Ἐννίου ἔπλετο μηδὲν·
  Ἔννιος ἀλλ' ἐκ δὴ μηδενὸς αὖθις ἔφυς.

Idem Latine.

Qui nitido intactos Musae pede primus inisti
  Italicae campos, Itale Maeonide,
O quam hilares, Enni, spectamus, quamque lubentes,
  De Styge, de leti te reducem tenebris?
Atquin relliquiasque tuas, dulcesque Camoenas
  Mors, et vis duri temporis obruerant.
Nunc vates Latii inter cassos luce vagantem
  Te Merula ex Orco, Phoebus uti puerum
Ante Coroniden, in luminis eruit oras.
  Quam fatum miras itque reditque vices!
Ennius e Pavo es; quique Ennius ante, nihil fis.
  Ennius at, fueras qui nihil ante, modo es.

27. *In Agathiam a Bon. Vulcanio editum.*

Ἀγαθίας ἣν μὴ πολυΐστορι ῥύσατο βίβλῳ
  Πέρσας καὶ Περσῶν ἔργα παλαιγενέων,
Αἰὼν πανδαμάτωρ, καὶ νὺξ ἀμάθυνε μέλαινα
  Πέρσας καὶ Περσῶν ἔργα παλαιγενέων.
Ἀγαθίαν δ' ἣν μὴ Βουλκάνιος ἔξελε λήθης,
  Ἀγαθίαν λήθης ἀμφεκάλυψε κόνις.
Καί κε πολὺς τοπάλαι, Βουλκάνιε, σεῖο ἕκητι
  Ἀγαθίᾳ τε ἀγὼν ὦρτο καὶ ἱστορίῃ.
Νῦν δ' ἄμφω δισσοῖσιν ὀφείλετον, ἱστορίη μὲν
  Ἀγαθίᾳ πλεῖστον, σοὶ πλέον Ἀγαθίας.

Idem Latine.

Agathias ni iam fastis prius asseruisset
  Persas, et veterum Persica gesta ducum,
Tempus edax, et vis seclorum aboleret opaca

Persas, et veterum Persica gesta ducum.
Ni leto Agathiam eriperet Vulcanius, olim
Agathiam leti conderet alta cinis.
Et iam, Vulcani, propter te, maxima rerum
Lis foret Agathian inter, et Historiam.
Sed devinxerunt ambos duo. Plurima debet
Historia Agathiae, plura tibi Agathias.
Anno 1594.

28. *In Oppianum a Conr. Rittershusio editum.*
Ὀππιανοῦ βίβλον τιμῆς ἠμείψατο, χρυσὸν
Ἀντιδιδοὺς ἐπέων κοίρανος Αὐσονίης.
Ἀλλ' ἐπεὶ Ὀππιανὸν Ῥιτερούσιος ἐξεπόνησε,
Κόσμου ἀειθαλέος κάλλος ἐπαμφιέσας,
Ὀππιανοῦ τὰ πάλαι τιμῆς τινὸς ὤνια, χρυσοῦ
Χρύσεα νῦν οὐκ ἔστ' ἀντερύσασθαι ἔπη.

29. *In Librum Petri Foresti de morbis Hepatis.*
Ἄλλοι μὲν τὰ φανέντα σίνη θήρευσαν· ἐγὼ δὲ
Κῆρας ἐπ' ἐνδομύχους ἥπατος ἴχνος ἄγω.
Τοὐνδότερον μὲν ἐμοὶ, τοῖς δ' ἄλλοις εὔαδε λοιπὸν
Σῶμα, δυσιχνεύτων χεῖρας ἀπισχομένοις.
Χ' οἱ μὲν ἀπ' εὐχερέων κλέος εὐχερὲς εἶχον, ἐγὼ δὲ
Μοῦνος ἀπὸ κρυφίων ἐμφανὲς εὖχος ἔχω.

30. *In Ioannis Heurnii librum de Morbis Capitis.*
Τοὺς ἄλλους ὁρόων κεφαλὴν πέρι πολλὰ μογεῦντας
Εὔρνιος Ἱπποκράτους ἄνθεα δρεψαμένους,
Ὑμεῖς μὲν κρηπῖδα καλοῦ στήσασθέ ποτ' ἔργου,
Εἶπεν, ἐμὸν δ' ἐπὶ τῷ τὴν κολοφῶνα θέμεν.
Αἶψα δὲ τῶν κεφαλῆς τε νόσων σελίδεσσι χάραξε
Ταῖς παιηονίαις αἴτια, τάς τε νόσους.
Τόσσον ὑπερβάλλει δὲ βίβλους βίβλος Εὐρνίου ἄλλας,
Ὅσσον τῶν μελέων ἡ κεφαλὴ προέχει.
Idem Latine.
Heurnius Hippocratis carpentes florea serta
In Capitis morbos edere multa videns;

Praeclarae sunt artis, ait, primordia vestra.
  Huic summam nostrum est imposuisse manum.
Protinus et Capitis morbos digessit in uno,
  Morborum et causas, certaque signa libro.
Quo libro tanto libros supereminet omnes,
  Quanto cuncta super caetera membra caput.

31. *In Hippocratis Prognostica a[b] I. Heurnio Commentariis illustrata.*

Ναύτης ἠλιβάτου σκοπιῆς ἄπο τῆλε δεδορκὼς,
  Χειμῶνος προλέγει λαίλαπ᾽ ἐπερχομένου.
Ὑψοῦ δ᾽ ἑζόμενος πάντων ἐφύπερθεν ἰητρῶν
  Τῶν νούσων ἐνέδρας φράζεται Εὐρνιάδης.
Παιήων μὲν ἔδωκε κακάς τισι κῆρας ἀλαλκεῖν
  Εὐρνιάδῃ ξυνὴν ἀμφιέποισι τέχνην.
Τὰς δὲ νόσους προϊδεῖν, τά τε σήματα, μή τινος ἐστὶν
  Πλὴν τοῦ ἀκεστορίης ἡμένου ἐν σκοπιῇ.

Idem Latine.

Nauta procul celsae speculans de vertice rupis,
  Motus surgentis turbinis inde notat.
Sublime Heurniades Medicos supereditus omnes,
  Morborum adventus insidiasque videt.
Ast aliis Paean concessit fata morari,
  Heurniadae medicum quos sociavit opus.
Morborum sed signa tamen praenoscere, soli
  In medici studii qui sedet arce, datum est.

32. *In Georgii Dousae Itinerarium Constantinopolitanum.*

Δουσιάδης φιλόπατρις ὅρους λίπε πατρίδος αἴης,
  ἠδὲ φιλόστοργος τοὺς ἰδίους τοκέας,
ἤθεα τηλεδαπῶν ἐπαλώμενος, ἄρχιος ἐλθεῖν
  καὶ τῶν Ῥιπαίων ἄχρις Ὑπερβορέων.
ἐμπόρῳ, ἠδὲ σοφῷ πλάνη εὔαδε. τὸν μὲν ἐπείγει
  ἡ φιλοχρηματίη, τὸν δὲ φιλιστορίη.
ἀμφοῖν γὰρ μεμαῶσα διάνδιχα φροντὶς ὄρωρεν,
  οὐδ᾽ αὐτοῖν νόος εἷς, ὡς ὁδός ἐστι μία.

ἄστεα τῆς ἰδίης χρείης χάριν ἔμπορος εἶδεν·
  Δουσιάδης κοινῆς ἀμφὶ βιωφελίης.

Idem Latine.

Dousiades patria patriae studiosus, amator
  Patris, sustinuit patre carere suo,
Oppida perlustrans erro peregrina, paratus
  Usque ad Ripaeos tendere Hyperboreos.
Mercator cupide sapiensque vagatur: at illum
  Urget opum, hunc variae cognitionis amor.
Diversum meditans sententia surgit utrique.
  Nec mens una illis, sit licet una via.
Mercatorem urbes privatus visere questus,
  Publica Dousiaden impulit utilitas.

FUNERUM LIBER.

1. *Elegia, in V. C. Christophori Thuani, Senatus Principis obitum.*

Si quis adhuc hospes nostrum videt ordine longo
  Funus, et atratos pectora moesta Patres:
Ne tantum pompam, nec nos miretur ab illa.
  Exequias meritis aestimet ille meis.
Magnus ego magnis orior: neque nunc mihi primum
  Quaesitas nosci contigit inter opes.
Debeo naturae, quod non casuve, neque ullis
  Fortunae possum clarior esse bonis.
Me sibi iuridicae toga vindicat una Minervae,
  Et rerum domini gloria prima fori.
Non tamen et temere tantas accingimur artes,
  Nec terimus vulgi prava sequentis iter.
Nec vos polluimus sanctae mea numina leges.
  Attulimus puras ad sacra vestra manus.
Interdicta viris, nisi quos doctrina vocavit,
  Irrumpit legum limina sacra puer.
A tirocinio linguae, primisque magistris
  Protinus ancipitis transit ad arma fori.

Hinc fovet infantes prudentia iuris alumnos:
Munia abortivus summa Senator obit.
Dii melius, nostrae quod non pertaesa iuventae
Erudiit sensus Curia prima meos.
Exactos legum mea mens spectata per usus
Emendata bonis cultibus ante fuit.
Quicquid in aeternis positum memorabile chartis
Historiae veteris copia dives habet:
Quaeque per annales priscos aut Graeca vetustas,
Magnarum aut rerum conscia Roma notat:
Tum linguae studium Varronis sacra diserti,
Romani eloquii quaeque tuentur opes:
Cuncta mihi percepta prius, quam audere viderer
Nauta per ignotos velificare lacus.
Nec blandas sprevi commercia mollia Musas.
Quin spatia haec metis prima fuere meis.
Languet in incultis animis prudentia legum:
Sensibus instructis acrior illa subit.
Hinc me Romani devotum iuris alumnum
Excipiunt Themidis sacra verenda Deae.
Vix his egredior, mox me Palatia poscunt.
Convenio miles ad mea signa frequens:
Fungor honoratis vicibus, celebrisque per omnes
Militiae exercet me toga docta gradus.
Et, quod nota forent mihi summa negotia, magnis
Principum amicitiis publica cura fui.
Summus apex restabat, et ipsis proxima Divis
Quae claro fulget purpura prima loco.
Emendicatae non hanc suffragia vocis,
Non magnas vincens ambitus acer opes,
Gratia non expressit. inaffectata supremus
Virtuti magnae praemia pendit honos.
Non sine Diis probitas grassatur ad ardua rerum.
Non levis est summi conscia caussa gradus.
Culmen ad hoc patuit via moribus. huc mea virtus
Me vehit. haec rexi signa vocante Deo.
Quemlibet obiiciat nobis annosa vetustas,

Cuius adhuc laudet fama tribunal anus,
Et grave iudicium, sive eius, qui movet urnam
Quaesitor Minos, Aeace sive tuum:
Omnia concedent iuri subsellia nostro,
Iustitiaeque erimus lex imitanda novae.
Saecula Saturni, priscumque reduximus aurum
Iudiciis. Themis est ore locuta meo.
Vos conscriptorum collegia seria Patrum
Testor, et auspiciis Curia recta meis:
Ecquando auditum nostra vel labe, vel ullo
Crimine tot proceres erubuisse novo?
Quae mea calcato sententia missa pudore
Imminuit vestrae iura severa togae?
Quis nos vindictae caecis caluisse notavit
Motibus, obiecto vel tepuisse metu?
Quis lentum vidit? Miserorum vota clientum
Eventu dubii pendula saepe fori
Non favor elusit, non improba gratia vicit,
Non frustrat[r]ices detinuere morae:
Non mala fraus, et iuris inextricabilis error,
Non legum in dubias compita secta vias.
At longae ambages lites ex lite propagant,
Et fraus succrescit fraudibus arte mala.
Ah valeat quaecunque viae compendia nescit,
Pragmaticis nullum ponere docta modum,
Sed male iudicium differt, ac surda moratur
Non exorata curia clausa sera,
Dignior ignaras aequi quae temperet urbes,
Ponat et in Scythico barbara iura foro.
Sedulitas una est clementia iudicis aequi,
Saevitia est quicquid cessat ab officio.
Ille moras legum, et iuris retinacula rumpat,
Sedulus exemplo qui volet esse meo.
Hactenus excubiae populi. privata supersunt
Munia, et instructae sedula cura domus.
Non mihi conscivi maculam, qua nomen, et ipsos
Fama meos mores decolor ulla notet.

Non lucrum velox, quascunque relinquimus, auxit,
Vita sed excultas sobria parsit opes,
Quas pater, et generis series longissima prisci
Liquit, et a proavo missa potente domus.
Otia Musarum curas mulsere forenses:
Perfugium studiis illa fuere meis.
Pura valetudo nullis pulsata procellis
Semper inoffenso functa tenore suo est.
Curricula extremae permensum longa senectae
Occupat optato fine beata quies.
Mors quoque laudata est. gemitu lacrimisque Senati
Efferor, et populi teste dolore fruor.
Haec series vitae. manibus da lilia plenis
Hospes, et exequiis fausta precare meis.
At tibi contingat votorum summa tuorum.
Si sic vixisti, sic potes ipse mori.

Obiit Christoph. Thuanus Kal. IXbribus Anno 1582, cum annos 74, mens. 3, d. 5 exegisset.

2. *Elegia in V. C. Ioannis Thuani obitum.*

Ergo funestos, regina Lutetia, cultus
Sumis, et in vultu signa dolentis habes.
Occidit ah decus ille tuum, tua cura Thuanus,
Atque est quod feretro triste levatur onus.
Summus alumnorum, quos ad fastigia laudum
Virtutis fervens impetus extulerat.
Quid genus, aut praestans, iuvenum lectissime, virtus
Profuit, aut mentis vis generosa tibi,
Si mors ante diem te funere damnat acerbo:
Iniecere avidas si tibi Fata manus?
At tibi in augusto culmen sublime Senatu
Firma spondebant omina certa fide.
Et tibi ad hoc virtus, et vita exculta per artes,
Famaque ab antiquis missa favebat avis,
Et Genitor, quem si tibi non Natura dedisset,
Is meritis animi iam tuus esse potest.
Te primum sacri Genius Themis alma Senati

Ingenii excepit indole capta tui:
Et legum studiis animum emendare severis
Dum parat, haec tacito verba dolore dedit:
O praestans animi, gentis spes summa Thuanae,
Si qua Fata sinant[,] tu quoque magnus eris.
Sunt quaedam leges, et ineluctabile rerum
Foedus, et ipsi adeo iura tremenda Iovi:
Quae tibi crescenti, coeptisque ingentibus obstant.
Ah sinerent, quae laus, quanta futurus eras!
Verum primitias nostri nunc illa laboris,
Et messes properant urere saeva meas.
Interea quodcunque meo de munere restat,
Id, iuvenis, laudi serviat omne tuae.
Ingenii dotes, mens consultissima rerum,
Et castigatae vis rationis erit,
Compositi gestus, et torrens copia fandi,
Et bene pro trepidis lingua diserta reis.
His tu praesidiis quaevis fora tutus obito.
Ipsa patefaciet Curia magna fores;
Doctus honorato Pater ut te gaudeat olim,
Et docti Patris maxima castra forum.
Caetera Fatorum fuerint tibi iure negata:
Parcarum invitis legibus ista feres.
Non tibi plebeis sordent natalibus ortus,
Nec levibus titulis est tua fulta domus.
Illa, Parisiacam regerent qui legibus urbem,
Purpureos peperit pectora docta Patres.
Inde magistratus, et splendida nomina, honores,
Claraque ab innumero gloria fulget avo.
Quaeque venit virtus multo quaesita labore,
Legibus incepit sanguinis esse tua.
Quare age, dum famae plenis potes omine velis
Ingenii magnos explicuisse sinus:
I, iuvenis, tibi provecto iam laudis in altum
Temperet ut cursus aura secunda tuos:
Teque olim patrii miretur ut ordo Senati
Celtarum magno ponere iura foro.

Nec pressisse tibi sat sit vestigia avorum.
Fac quoque sis tantae pars imitanda domus.
Nec tantum tibi militiam transcribat honesti
Muneris emerito functus honore Pater:
Verum etiam propriis illam virtutibus orna.
Cum patrias illi iunxeris, adde tuas.
Sed frustra precor haec. tenues rapiuntur in auras
Fatorum caeco turbine vota mea.
Quod solum potui, summis te iuris, et aequi
Artibus eduxi laudis ad omne genus.
Haec patefacta via est, sinerent o caetera Divi.
Hactenus auspiciis hoc potes esse meis.
Dixerat, et lacrimae verba imperfecta secutae
Singultu medios eripuere sonos.
Fatalis iuvenis, iustissima cura parentum,
Quae sat erit morti moesta querela tuae?
Aspicis? atrato sordet nunc curia cultu:
Iustitiumque hodie publicus urbis amor
Indixit. tota est urbs funere funus in uno,
Et putat efferri se quoque morte tua.
Heu quantum est aevo crimen factura futuro
Una nigras tenebras inter habenda dies,
Quae mutas leges, sanctique silentia iuris
Cerneret, atque orbi frigida regna fori?
Quot dotes animi quam parvo clausit in orbe?
Unus ut occideret, quot periere bona?
Di, quibus est clarae suspecta potentia gentis,
Quis vestrum tantae par erit invidiae?
I nunc, deplora congestos stragis acervos,
Plurimaque hostili millia caesa manu.
Omnia non certent huic uni funera damno.
Iacturas omnes obruit una dies.
Heu iuvenis miserande: tuo nunc subruta casu
Est domus, et gentis spes labefacta tuae:
Quam pius ipse Parens ex te suspenderat omnem,
Foverat et tacito credula vota sinu,
Ut posses oneris magnae succedere parti,

Atque gravi rerum fasce levare senem.
Et tibi non deerant istis satis ampla gerendis
Praesidia, et poterant haec onus esse tuum.
Nam tibi vis prudens, et rerum maximus usus,
Et gravibus curis utile pectus erat.
Quas dotes uno clausit mors nigra feretro,
Ac secum Patris votaque spemque tulit.
At vos, o proceres, caelo, pia turba recepta,
Principibus quibus est Curia recta viris,
Alma quibus pietas, et servantissimus aequi
Semper amor facilem fecit ad astra viam:
Accipite hanc animam. non est ea conscia culpae.
Immatura ad vos venerit illa licet,
Accipite. In terris magnum regere illa Senatum
Debuit. in magno vos regat illa polo.

3. *Epicedion Henrici Castanei Ludovici F.*

Quicunque immensos moliris mente triumphos,
Absiste insanis (vana est fiducia) caeptis.
Quisque suas urgemus opes: spe maxima facta
Praecipimus. mors atra nigris circumvolat alis,
Et cursu in medio vota imperfecta moratur.
En modo quem sublimis apex, quem clara manebat
Gloria, qui gestis modo rebus, et indole prima
Cunctorum studia et spes incendebat inanes,
Exequias fertur iuvenis, lacrimasque suorum,
Et fati invidiam secum trahit. Aspice quanto
Defertur comitum gemitu, quanto agmine pompae.
Heu bello properatus honos, et puberis aevi
Tristes primitiae! Nimis infaelicis ephebi
Visa potens virtus, vitam si fata dedissent.
Nunc quem sera senem debebat laurea caelo,
Abstulit ante diem, nec longo tempore fortem
Passa frui iuvenem, quos spe praesumpserat annos,
Ac generis titulos claris extendere factis,
Si proprium decus hoc voluissent esse severae,
Quae fusis hominum dispensant fata, Sorores.

Omniparens caelum, caeloque adscripta potentum
Faedera fatorum, iuvenem contingere vitae,
Quas Telamoniades, matrumque orbator Achilles
Contigerunt metas, cur invidistis, ut annis
Heroum vitas, animis aequaret honores?
Heu miserande puer, tu nunc primo occidis aevo:
Occidis, et iuvenile decus Mars impius hausit,
Qualia prima novo canentia flore ligustra
Decutit afflatu, qui decutit omnia, ventus.
Ah qualem luctum linquis matrique patrique,
Atque tuis! matri ante alios, quae vota precesque
Conduplicans sublimem in equo et fulgentibus armis
Miserat in bellum, nec talem moesta recepit[,]
Sed gelidos artus, sed onus fatale feretri.
Parte alia nullis novitatum exterrita monstris
Simplex nobilitas, et nescia pestis Iberae,
Extinctum lugent, versisque insignibus omnes
Funeream ducunt pompam, et funguntur inani
Officio. tu non gemitu revocabilis ullo
Conciliis Heroum, et coetibus interes illis,
Quos discreta tuentur ab omni limina vulgo,
Limina, quae nisi victores insistere fas est,
Quosque triumphali velavit laurea fronde,
Aut quibus illustres umbravit civica vultus.
Hic tibi non aequo passu templa illa petenti
Obvius occurrens aliquis de gente Deorum
Te coetus trahit in medios procerumque ducumque,
Francorum procerum atque ducum, qui fortibus ausis
Parta reportarunt toties ex hoste trophaea.
Olli sidereos vultus, et frontis honestae
Mirantes culmen generosum, et membra decora
Expleri nequeunt animum, memoresque iuventae
Flent, atque extinctum fato miserantur acerbo.
Cum vero palmas numerant, et fortia facta,
Tunc iustae credunt numeros explesse senectae.
Tunc laetum Paeana canunt. tunc vocibus aether
Fervet, et alterno fremit ingens regia plausu.

Tu contra (horresco memorans) hic iura fidemque
Calcata, hic patriae conversum in viscera ferrum,
(Proh pudor) Hispanos dominos in tecta receptos,
Mutatos Gallorum animos, et saecla nepotum
Degenerasse refers virtutem oblita parentum:
Ac te faelicem, cui contigit, ista priusquam
Longius in miseros serpant contagia Gallos,
Oppetiisse tamen pulchram per vulnera mortem.
Denique et hoc melius, quam si te lurida tabes
Devotum morbo caput, et sine nomine funus
Absumset. melius, quam si te caespite vili
Suppositum velaret humus peregrina: neque ullus
Exequiis patriae contingeret haustus arenae,
Aut tumulus, tumulo et leti superaddita caussa
Et funus, qui solus honos est lumine cassis.
Tu loqueris: tacitus suspensis auribus illa
Conventus bibit Heroum: nec iam tua sentis
Vulnera: non gemitus, non haec mortalia curas:
Et quae non curas nobis deflenda relinquis.
Flebimus, et memori, si quid pia carmina possunt,
Si quis amor veri est, te commendabimus aevo.
Dicemus validis defensas viribus arces,
Quam Gardampa rapax, et quam lavit amne Vigenna.
Addentur fuso palantes agmine turmae
Non sine te, et turpi vertentes terga timore.
Ac quamvis titulus plenis tibi fructibus ingens
Armorum merito est: tamen est prior ordine virtus
Et doctae impubes aetas operata Minervae.
Siste parens lacrimas, animi matrona virilis,
Si qua fides vatum auguriis, manet ultimus hostem
Exitus; haud humili persolvet vindice poenas.
Interea has lacrimas, solatia vana doloris
Accipe care puer, dum paulum cura remissa
Laxat iter voci, ut liceat tua dicere facta.
Accipe care puer lacrimas, salveque valeque.

4. *In eundem Epitaphium.*

Cur hoc Henrici sunt condita viscera busto;
  Ast alii cessit corpus inane solo?
Una domus totam quam non capit orbe ruinam,
  Uno nôn potuit limite tota capi.

5. *Epicedium Lodoici Castanei Equitis Torq. Regii.*

Tristes exequias, miseras surgentis Ephebi
Spes interceptas in primo flore iuventac,
Defleram. nondum coiit manifesta cicatrix.
Funestos iterum numeros, et triste doloris
Poscimur officium. Lacrimas impendimus orbo:
Extincto demus lacrimas. Durissima iura
Fatorum, ludo nondum satiata cruento,
Estne, quod in claras praelustria culmina sedes
Non liceat vobis, si nec domus una sat uno
Fungitur exitio? Testis natusque paterque:
Marte prior natus, morbi pater obrutus aestu,
Ordine turbato nati comes additus umbris.
Sic tortus rapido ventorum turbine vortex
Arboreos primum ramos, et matris opacae
Summa petit stringens, mox ipsam a stirpibus imis
Evertit, totamque advolvit montibus ornum.
Quae prius insano rumpam convicia planctu?
Quid querar? unde meo quaestus ac verba dolori
Sufficiam? stupet ecce novo mens obsita luctu,
Nec, quid promat, habet, dum semet in omnia vertit.
Scilicet effabor? tantis sim luctibus impar.
Vulnera dissimulem? misero, quodcunque tacetur
Acrius insidit: luctuque expressa querela
Infantes promit gemitus, ac murmura trunca.
Ipsae, quae nostros solitae mulcere labores,
Ad quas perfugium duris in rebus habebam,
Praeduxere situm squalentem ac nubila menti,
Nec mea responsant faciles ad vota Camenae.
Septima iam reficit Lunares orbita cursus[,]
Cum dirae mortis trepidas mihi nuncius aures

Affecit, pigrosque induxit pectore sensus,
Inspirata meis afflans oblivia curis.
Sic tua mors, Lodoice, tuique iniuria fati
Musarum dulces foetus, et carmina nostro
Obterit ex animo. Postquam tua funera moestus
Auribus his hausi, nil non mutabile sensi,
Atque idem mihi me, qui te mihi, casus ademit.
Hoc solum superest, de te vix dicere posse,
Et tantum meminisse tui, tua fata canentem
Flere, minus muto, sed non meliore canenda
Pectoris affectu. Si quis tamen haec quoque[,] si quis
Rumpit frena dolor: non te, flos lecte virorum
Indictum, aut tua facta sinam. Tibi pectora plango,
Et tua iam resides animos in funera solvo.
Ecce diu sterilis male conscia lingua silenti
Obsequio tristi vires, vocemque ministrat
In luctus facunda suos, nec se capit intus,
Quem vis dura mali potuit cohibere dolorem.
Ah quibus incusem probris, qua voce lacessam,
Quae te non verita est tanto fraudare ministro
Gallorum fortuna vices, quas saepe ruentes
Fulsit, et in tuto rursum tua dextra locavit,
Dum toties vincis, patriaeque impendere vitam
Non dubitas, quae te nuper duce civica fregit
Arma, vago fines qua Pictonas amne Vigenna,
Quaque alios fines Lemovix Gardampa pererrat?
Heus ubi nunc virtus, invictaque dextera bello?
Heus ubi perfectae sitiens mens laudis? ubi ingens
Gloria Castanidum? nempe haec, proh sancta Deorum
Numina, nempe nigri haec vis abstulit omnia leti.
O quot funeribus tibi funus constitit unum!
Quot lacrimas orbae, quantum tibi, Gallia fati
Mors dedit una! Novum neque enim, neque nuper oborta
Nobilium de plebe caput, sed sanguine ab alto
Demissum genus, atque heroae stirpis alumnum
Usque ab avis, et avorum atavis, ab origine prima.
Quod genus externum, quae gens tam devia nescit

Castanidas proceres, Martis virtute potentes,
Et belli claros studiis, quo tempore fines
Anglus Santonicos dura ditione premebat?
Testis Vultona es, refluaque Carantone lympha,
Caede Caledonia vitreos infecte liquores.
Hinc sparsum genus est. At eos cepere propinquis
Pictonis hinc tellus, hinc tellus Turonis oris,
Turonis armipotens Celtarum gentis ocellus,
Ingeniis pollens, et divitis ubere glebae.
Hic prima hausisti genitalis lumina caeli,
Qua regnator aquae presso fluit agmine Crosa,
Et turrita lavat Posaei moenia Castri.
Hic tibi faelices cecinerunt omina Parcae,
Et melior niveos oneravit purpura fusos,
Ut quanto patrias patria haec supereminet almas,
Tanto tu meritis anteires omnibus omnes.
Ergo lacessenti primis vagitibus auras
Infanti ingenuos instillavere liquores
Castigatorum morum, pro lacte tepenti,
Sanctae nutrices, Virtutum exercitus omnis
Cana Fides, Fideique soror Constantia virgo,
Temperiesque, et iustitiae Prudentia custos.
Inde Magisteriis aetas formata Dearum
Accepit tales exculti pectoris auctus,
Quale tuis ipsae lac immulsere labellis.
Ut quae vix fas est partitim singula habere[,]
In te coniunctim fluerent, unoque recepta
Pectore virtutum collegia mixta coirent.
Nam quod vulgus iners, et adhuc rationis egenum
Nil putat esse fero blandis cum Marte Camenis,
Tu cum Marte fero commercia blanda sororum
Inter se placida consanguinitate iugasti,
Musarum, vir magne, prior, belline laborum
Laudibus, ambiguum: sed certe magnus utroque.
Nec te Nobilitas custos erroris aviti
Traxit in exemplum, legis quae vertit in usum
Nil scire, et rudibus transmittere cultibus aevum.

Quid referam nullis indelassabile corpus
Usibus, et patiens aurae glacialis, et aestus?
Quid somni immunes oculos? quid membra labore
Campestri durata, nec uni nata palaestrae?
Utque illae dotes vincebant caetera. ita unus
Vicerat has animus generoso incoctus honesto,
Puraque mens nulli vitiorum pervia labi,
Et recti retinens, et vindex fraudis avarae,
Tum pudor, et mores priscis Heroibus aequi,
Et castae gravitas non affectata loquelae:
Sobria temperies: frons non elata secundis[,]
Non deiecta malis, mediique in utroque tenores.
Interea magnae legatus poscitur Urbi,
Septem quae una sibi gremio complectitur arces.
Quaeritur e medio procerum, quae maxima tanto
Apta foret cervix oneri. Tua cognita virtus
Non est passa diu mentem nutare legentis
Principis, aut procerum faelicia vota morari.
Mitteris: et quam certa fides, quam provida cura,
Aut tua quae fuerit claros spectata per actus
Sedulitas, sensit Princeps, videre Quirites.
Quin etiam obsequium longa in statione teneret,
(Tantus amor Regni est, tanta est reverentia Regis)
Emeritum nisi iam, lustrum volventibus annis,
Roma redonatum patrio te redderet orbi.
  Vita bonae pacis dulces agitata per usus
Militiamque aulae, potuit tranquilla videri
Hactenus. Hinc crudi studiis exercita Martis
Caetera loricae sub pondere canuit aetas.
Quis memoret curas animi, discrimina vitae,
Sub Iove duratas hiberno sidere noctes,
Atque intempestis equitata cacumina nimbis
Fortibus induto rigidum thoraca lacertis,
Cogenti turmas, implenti munia magni
Militis atque ducis? Lemovix rectore carebat
Limes, Aquitanae scindens confinia terrae,
Tempore quo Stygio caput extollebat ab antro

Gallorum furians animos civilibus iris
Impia Tisiphone. Flebat Provincia sola,
Nuda regente suo, qualis, bacchantibus Euris,
Fluctibus in mediis amisso cymba magistro.
Cuncta coruscabant trepida formidine mortis,
Pictone si sonipes flammas miscente cucurrit,
Vel quoties acies longe comparuit. Hostis
Extra urbem manifestus erat, suspectus in urbe.
Utque Therapnaeos fratres, optabile sidus,
Auxilio implorant deprensi turbine Nautae:
Sic te suspirant fessis solatia rebus
Laturum cives. Neque sat, te poscere votis.
Posceris et precibus. Precibus Rex annuit: et mox
Optatus Rector rerum succedis habenis.
Ipsa quidem viridi iuvenales indole vultus
Mutato felix novitas moderamine sumpsit.
At tibi nulla quies, nec blando lumina somno
Declinare datur. Coniux a mente remota
Exulat, et dulces, carissima nomina, nati.
Publica privatos affectus cura repellit.
Unus amor, nullum patriae praeponere amorem,
Nec sua communi subducere membra ruinae.
Unum hoc propositum est: hic menti terminus haeret.
Vix admissus eras trepidae ad moderamina terrae,
Frugibus infestas populator Picto cohortes
Parcius immittit campis: neque, ut ante solebat,
Cornipedum crebris assultibus arva fatigat,
Sparsurus pavidis incendia dira colonis.
Et vel, si qua foras audacia provehit, hosti
Improvisus adest, vel ab omni parte timendus
Castanides absens animis suspectus inhaeret,
Increpuitque metum, sola formidine victor.
Quae Gardampa tuas praetexunt oppida ripas,
Et quae Crosa tuas, dominis servire coacta
Hostibus, hostili nunc sunt praetenta furori.
Nec vota agricolae, nec spes intercipit anni
Vel libata Ceres, vel abactus cultor agelli.

Illa, vagis cuius populatibus invia nulla,
Atque omnis fuerat tellus angusta, latronum
Colluvies, furumque novo ductore maniplus,
Unius vix se defensum maenibus urbis
Continet. Illorum nunc praeda est obvia, quorum
Praedo fuit. Quod non toties, nec tanta per agros,
Perque humiles bacchata casas incendia regnant:
Quod civis propriis fruitur, quod pace colonus:
Castanidae totum meritis debetur, et uni,
Quae nulli cedit, cui cedunt omnia, dextrae.
Pictonio sua forma, tua virtute renato,
Et priscus patriae rediit vigor artubus aegris.
Te duce, mercedem lixae non pendit arator.
Non pacem donis redimit, non aere quietem.
Namque tui reverens exempla domestica de te
Miles habet, sequiturque tuos, ut classica, mores.
O felix, si cui stabiles florentis honoris
Asseruit titulos indelibata voluptas.
Sed neque inoffensi datur aevi currere metas,
Continuat sincera tenor neque gaudia nobis.
Namque duo meritas temerarunt omina laurus,
Quae transversa tuis intervenere trophaeis:
Filius heu pubes indigna morte peremptus
Atque tuum carcer. sed carcer sanguine multo
Pensatum exegit iusta Rhamnusia poena:
Ut damnis tua laus crescens preciosior esset.
Sordescit laus de securo parta. Triumphus
Vilis erit, cui non proludunt praevia damna.
Dicat congestis angustus stragis acervis,
Quam pigra Ligerim propellat mole Vigenna.
Mersa quot arma virum, quot fortia corpora volvit.
Iam sat finitimis impune illuserat oris,
Turonios praedo quatiens equitatibus agros.
Vindictam exanguis patriae poscebat imago;
Vindictam lacera poscebat Filius umbra,
Devotum funus, civilis victima belli.
It campis agmen. telis exercitus ardens

Procedit. iam cuncta sibi cedentia votis
Metitur. quas quisque avida spe devorat urbes,
His servile iugum intentant, his vincla minantur:
Omnibus exitium. Nec non poscentia pugnam
Agmina Castanides dictis accendit: adesse
Tempus ait, quo felici victoria lauru
Pictonio requiem, decus ipsis sanciat. Eia,
Poscimur, en Mavors: en Mavors; poscimur, inquit.
Signa movent, strictisque acuunt mucronibus iras.
Quae fuit illa dies! quam multa caede piatum
Et carcer patris est, et nati funus acerbum!
Hic neque cura subit quaestus, neque parcere victis,
Nec precium captis imponere. Corpora, quae non
Optat avarities lucro, rapit ultio caedi.
Vindictae gens tota datur. Nam caetera pubes
Ne pereat, perit, et patulas se mittit in undas.
Atque aliquis prono descendens amne viator
Funera dinumerare velit: sed longa natantum
Obsistit series: numerus cum flumine crescit,
Cum numero Paean. Ligeri dic, magne Vigenna,
Dic, Liger, Oceano, victrici cedere cuncta
Castanidum dextrae: fluvios servire triumphis.
Non ego cuncta meo complecti carmine possim,
Non Martis, non pacis opus: quas Marte rebelles
Disiecit gentes, placida quas pace ligavit.
Ista, Maronei quos afflat spiritus oestri,
Utilius seris miranda nepotibus edent.
Nos humiles animae, quis solvere quaestibus ora
Vix datur, inferias magnae, quas possumus, umbrae
Libamus, tenues numeros, defectaque verba,
Singultu medias interrumpente querelas.
Ergone te, cui tot creperi discrimina Martis
Cesserunt, toties belli fortuna pepercit,
Lecti invita quies, et segnis inertia morbi
Abstulit? occiduum quamvis tibi vergeret aevum,
Et quartum ter quinta urgeret Olympias annum:
Sobria te iuvenem faciebat vita videri,

Nos patriae utilitas annos numerare vetabat.
Quo properas? cur, quae valide defensa dedisti
Oppida, quas toties servasti, deseris arces?
Aspice, luctifico miscentur ut omnia planctu,
Omnis ut ora suum desideret orba parentem.
Heu cur te vitiis aevi praesentis iniquum
Ocior aura tulit? Non te preciosa morantur
Pignora, praestantes lecta cum coniuge nati?
Non inculpati convictus strenua membra,
Castrorum comites, per tot discrimina saeva,
Indeserta tuae fortunae signa secuti?
Ast ego, quem suprema terit iam calce senectus,
Quid steriles annos, quid inutile demoror aevum,
Si genus Heroas nullo superabile bello
Morbus, et ancipitis rapit inclementia fati?
O patria, o magni dominatrix Gallia regni,
Si quis amor veri est, si te tua vulnera tangunt,
Pelle situm senii: nubem eluctare veterni
Antiqui, mersumque gravi caput exere somno.
At nondum clades, nondum tua funera sentis?
Paulatim floremque ducum, bellique ministros
Carperis. hos morbus rapit, hos Mars impius hausit.
Funde tuo lacrimas supremum munus alumno.
Stet tumulus. tumulum signet superaddita caussa.
Hunc tumulum, et tumuli titulum sua Gallia rapto
Castanidae, quo mille duces amisit in uno.

Obiit anno 1595, III Kal. VIIIbris.

Deo opt. max. sacrum et memoriae aeternae.

Ludovico Castaneo Prulliacensi et Malavallensi baroni, Castri Posaei Tufolı et Abennı domino, utriusque ordinis equiti torquato, regio intra sacrum Galliarum consistorium consiliario, turmae quinquaginta equitum cataphractorum praefecto, utriusque limitis Lemovicani vice regia rectori, a primo aetatis tirocinio in actibus publicis ac bellicis strenue ac fideliter versato, multis legationibus pro christia-

nissimi regis Henrici III desideriis apud Gregorium XIII et alios Italiae principes gloriosissime functo, qui cum et multis transalpinis expeditionibus et obsidionibus urbium intra regnum superioribus bellis civilibus interfuisset ac in omnibus fortissimam operam navasset ultimoque funestissimo bello ineunte illustrissimo duci Monpenserio in Picardiae urbibus in officio retinendis fidem opem industriamque egregiam praestitisset, in provincia sua omnia oppida et castella a rebellibus insessa in potestatem suam redegisset, Belacum copiis hostilibus acriter oppugnatum immisso noctu novo praesidio virtute filiorum suorum summis difficultatibus expeditum liberasset, hostem praesidiis castris tormentis bellicis atque impedimentis saepius exutum saepius accisis opibus in urbem Pataviensem confugientem postremo novis auxiliis undecunque conquisitis auctum ac bellum instaurantem ultima belli fortuna ad flumen Vigennam internecione delevisset, in limite autem superiore Lemovicano ducis Nemossensis copias nocturna impressione terrore ac caede complevisset, ac denique quotidie neque sine gloria sua neque sine detrimento hostium in toto illo tractu cum rebellibus experiretur, tandem in expeditione Burgundionensi regem christianissimum Henricum IIII secutus languorem nactus incredibili sui desiderio omnibus bonis relicto in civitate Molinis ad Elaverem fluvium obiit anno aetatis suae LX Christi autem CIƆ.IƆ.XCV III Kal. Octob. Claudia Podia uxor cum liberis M. P.

6. *Iosephus Scaliger Puteanis fratribus, Claudii filiis, de morte eorum patris.*

O lecti iuvenes, virtuti nobile germen
Succrescens patriae: quid me ad damnata redire
Sacra Camenarum, et meliores cogitis annos
Respicere, ut Phoebi virescat pristinus ardor,
Afflatuque novo sopitos suscitet ignes?

At quodcunque fuit, si quod fuit, omne doloris
Sordibus obsoluit, neque iam splendescere cultu
Sustinet ingenium, duplici quod funere sensim
Efferri sentimus: hebes nam luctibus hinc est,
Hinc ipsum frangit, quae frangit cuncta, senectus:
Ut quondam senio rimam faciente dehiscit
Iam putris paries: proprio mox pondere tractum
In proclinatas prosternunt flamina partes.
Scilicet exequias vestro sic ire parenti
Hac ope nitentes, hac cultos mente iubetis?
Namque ex quo tali vos orbos patre reliquit
Nigra dies, turpi macula quae secla notare
Non verita est, tanto dum privat sidere mundum,
Ex hoc nulla mihi diffundunt gaudia vultum:
Et quae sunt solitae vulgo lenire dolorem
Vel ratio, vel longa dies, harum altera tantae
Iacturae meritum menti obiicit: altera longo
Carnifici curae vires acquirit ab aevo.
Ultima restabant animo solatia victo,
Quas a me exigitis, neque me debere fatebor,
Dulces Pierides, generosae pabula mentis
Suavibus in studiis Heliconia sacra colentis:
Qua non est animo potior medicina tumenti,
Quum dolor egeritur lacrimis, explendaque fletu
Cura novis iris omnes effundit habenas.
Sed nos Musarum secretum triste petentes
Nescio quis pravae dulcedinis efferat error,
Absentis memores figens in imagine sensus:
Qui dum praeteriti convictus computat aevi,
Atque sibi blanditus in omni quaerit amicum
Historiae cumulo, heu quoties obiecta figuris
Lusit amabilibus memores insania sensus?
Nam quocunque meos circunfert lectio visus,
Seu quem iustitiae dotes, aut gratia morum,
Aut iuris commendat apex, aut gloria linguae,
Unicus occurrit nobis Puteanus in illis
Exemplis decorum: quia quem congesta decebat

Virtutum series, virtutes vindicat omnes.
Sic quae sunt curis aliorum nata levandis
Otia Musarum, lacrimis sunt pabula nostris.
Et quae sunt cunctis medicamen lene laborum
Literulae, nobis coeuntia tempore longo
Vulnera rescindunt, animo quia vana ministrant,
Qualia fallaces frustrantur gaudia somni
Instar ventorum, levibusque simillima fumis:
Ut, quoties mihi lecta refert, neque praestat amicum
Pagina, detester toties mea numina Musas.
Inde fit, ut, si quae manabat largior olim
Castalii laticis nostro de pectore vena,
Pauperior fluat, et suppresso fonte resistat.
Unde igitur versus, et rapto carmen amico
Sufficiam, cui nec Phoebus respondet, ut ante,
Nec vetus aspirat vegetantes impetus auras,
Parnassum, et sacram solitas impellere Cirrham?
Quod mihi si nullo squallerent pectora luctu,
Et par ingenium magnis conatibus esset,
Supremi officii praestarem iura sodali.
Sed vigil ad curas, solisque adsueta querelis
Non venit ad partes toties mihi Musa citata,
Pro verbis fundens lacrimas, pro carmine questus.
Ne tamen aut pietas, aut, cuius sancta potestas,
Claudicet officii pars ulla novissima nobis;
Huc ades adiutrix nostri regina laboris,
Et mihi, Melpomene, potiores praecipe Cantus,
Fletibus immodicis statuens quis terminus haeret:
Quos desiderio fines, quae tempora pono.
Et quum te in partem lacrimarum saepe vocarim,
Pone graves gemitus, lamentaque desine mecum,
Funereos lacerata sinus, immissa fluentes
Hirta per ora comas, et scisso squallida peplo.
Come serenatam festo diademate frontem.
Indue purpureo radiantes lumine cultus.
Detersis curis, et pulsa nube doloris
Compositos manes hilari pietate colamus.

Iam laudum, et rerum melior te postulat ordo.
Sic ego: sic Diva hoc sermone silentia rupit.
Principio Natura parens, quum vellet in una
Congerie decorum commercia multa coire,
Atque hominem exemplum seclis insigne futuris
Parturiens, cuius sub pectore conderet illa,
Hunc humilis vici caccis vagire latebris,
Aut ignorata nutriri noluit urbe,
Sed regni domina, quod regnis omnibus orbis,
Omnibus Europae praecellit ut urbibus illa:
Ut commune decus, sociaeque insignia laudis
Tam locus a nato caperet, quam natus ab illo.
Regnatrix clarae generosa Lutetia terrae,
Quis memorare tuas sat digno carmine dotes
Aut laudes aequare queat, quae debita Musis
Tot pleno toties fudisti pignora foetu?
Tu generas, qui iura regunt, qui legibus urbes
Et sanctis recti populos moderantur habenis.
Non alia nasci Puteanus debuit urbe,
Aut potuit, quam quae propriis virtutibus illum
Excoleret, similemque suis formaret alumnis.
Protinus altrices linquens infantia cunas
Imbuitur studiis, et primo flore, Minerva
Eductrice, rudes poliuntur cultibus anni.
Excipiunt puerum gremiis florentibus Artes.
Ante omnes teneri moderamen suscipit aevi,
Quae docet, ut primo formetur litera ductu,
Ut commissa suis nectatur syllaba nodis:
Atque per articulos distinctaque membra legendi
Daedala perpetuam texat structura loquelam:
Utque suis pedibus gradientia carmina surgant.
Huic soror exacuens studiis solertia corda,
Et stricto vultum componens pondere vultus
Succedit Critice, pueri quae sensibus omne
Cecropiae et Latiae reserat penetrale senectae,
Quicquid apud numeros, numeris aut orsa soluta
Venturis seclis commendavere papyri.

Non illi prisci certasset norma Cratetis,
Non cuius spurios versus censura notavit,
Et laeso a mendis obelos impressit Homero.
Sic furtim ereptos blandis nutricibus annos
Erudiere Deae, donec vis mentis adultae
Ad magnos census, gravioraque caepta vocaret.
Tunc Dea, quam penes est cultae facundia linguae,
Quae dotes oris tribuit, regnumque loquendi,
Induit Actaei puerum Demosthenis arma:
Eloquii florentis opes, momentaque fandi
Tradit, et attonitas artem quae permovet aures,
Arbitrioque suo moderatur frena coronae.
His sacris imbutus, ait, pete limina legum,
Quae tibi recludit nostri fiducia ductus.
Ut rectore carens, et nullo remige tuta
Ludibrium venti puppis iactatur in undis:
Sic quicunque subit Themidis sacraria Mystes
Lucis egens nostrae, cunctisque paratibus orbus,
Quos munire solent pueris discentibus Artes:
Exclusus commissa luet, quod mente profana
Iuris inaccesso posuit vestigia luco:
Et nunquam visus adytis immittet opertis.
Exere vividulos animi solertis ocellos[,]
Care puer. te iura vocant, arcanaque legum.
Te sua votivum Themis in penetralia mittit,
Quae te purpureis insertum Patribus olim
Signabit meritis, rerumque imponet habenis.
Disce quis officii limes, quae regula recti,
Quis licito finis, vetitum quae poena sequatur:
Qualia bis senis tabulis sanxere Quirites,
Aut Praetoris honos, aut Caesaris alta potestas.
Artibus excita his homines Astraea revisit,
Praetulerit quamvis telluri sidera, postquam
Aurea deterius vitiavit secla metallum.
His quoque barbarico squallescere secula ritu
Dediscunt; et, qui voluit feritate timeri,
Iura timet. Validum, saevisque potentius armis,

Urbibus ut reges, sic regibus imperat Aequum.
Quo magis has, dilecte puer, maturior artes
Praecipe corde libens, et totis sensibus hauri.
Tempus erit, quando tua te spectata per illas
Augusto Patrum virtus asciscet honori.
Dixerat. Obsequiis puerum maioribus aptum
Excipit alma Themis, magnis et destinat actis:
Sacra docet, legum tabulas, et condita iura
Monstrat, et instructo iam civica porrigit arma.
Est locus, austrinum qua pronus vergit in axem
Signifer, et noctes Chelae cum lucibus aequant.
Hic sibi, dum priscas exosa relinqueret urbes,
Conspicuum posuit signis Astraea tribunal,
Unde sacro totum moderamine temperat orbem,
Et stringit scelerum vindex in crimina numen.
Hic incisa notis media testudine tecti
Atque aere ex solido legum tabularia pendent.
Atria clara domus dextra laevaque tuentur
Felices animae, caelo sacrata virorum
Nomina, purpurei toga quos velavit honoris:
Quorum consiliis tutata est Curia regnum:
Quos non vis odii, non illice gratia fuco
Incolumem iusti vetuit servare tenorem.
Hos Dea pro meritis in coeli parte locavit.
Inter quos, celsa Puteanum ut vidit ab Aethra,
Praecipuae sedis loca deligit. Hunc quoque, dixit,
Ista manet sedes, postquam perfecerit omnes,
Quos fatis debet, non quos natalibus, annos.
Atque utinam posset contingere longius aevum,
Et tantum vitae, quantum splendoris, haberet.
Diis aliter visum, vitiis qui gentis iniqui
Humanae, sanctas animas de corpore solvunt,
Utque malos mulctent, privant hos luce bonorum.
Interea, dum culmen ei sublime paramus,
Lucida qua iustae fulgent examina Librae,
Et vacat huic sedes, quam designavimus illi
Hos inter proceres, sua quos illustribus Aethrae

Coetibus inseruit pietas, caeloque fruuntur:
Hunc summos meritum virtutis nomine fasces
Inter honoratos admittat Curia Patres.
Iuridici coetus secretis actibus adsit,
In medio faciat facundus verba Senatu.
Nullis occulitur virtus generosa tenebris,
Conspicuum fundens, Pharos ut Nilotica, lumen.
Nec Puteanus, opem quum lapsa negotia quaerent,
Ignoratus erit; dubiis nam protinus illum
Rebus Aquitanae gentis ad iura reposcent:
Quum lecti Proceres augusti membra Senatus
Exciti lacrimis afflictorumque querelis
Incorrupta dabunt oppresso iura Garumnae,
Mollia praestantes securis otia terris.
Ast hos pacatis repetentes patria rebus
Moenia feralis tempestas civica belli
Excipiet. Quantis iactatos illa procellis
Heroas summos varia in discrimina mittet,
Quorum pars Puteanus erit? Quid caetera porro
Persequar? aut potius cur facto fine quiesco?
Plura Deam memorare (etenim memorare libebat)
Et dolor, et taciti vetuit mens conscia fati.
Me quoque, quam meritum grande, et reverentia morum,
Atque viri virtus huc perduxere canentem,
Hei mihi, quum morbum supremaque cogito fata,
Hei mihi; deficiunt vires. Nec plura locuta
Melpomene, lacrimisque genas oppleta tumentes
Haesit, et effusi contraxit vela doloris.
Cupressum crines iterum pro virgine lauru,
Pro laetis humeri velamina tristia sumunt.
Quo me, Diva, gravi perfossum pectora cura
Deseris, infandamque iubes renovare ruinam,
Cui par non fueram flendae? Quid fulmine tanto
Dignum concipiam, cui singultantia verba
Vix medio gemitu vox intercepta ministrat?
Ignosce, o nostri sidus memorabile secli,
Si pro carminibus, truncarum murmura vocum,

Pro cultis elegis, incomptas fundo querelas.
Non mihi sunt, quae tu quondam laudare solebas,
Et quia laudabas, cunctis placitura putavi,
Carmina. saepe tuis quibus est audacia verbis
Addita, dum clarae metuunt se credere luci.
Omnia, tu moriens haec tecum rapta tulisti.
Omnia ferali sunt tecum condita busto.
O luces, o quos memini, dum fata sinebant,
Colloquio dulci tecum me condere Soles.
O tritos sermone dies, et seria mixtis
Alternata iocis. o quas mirabar adorans,
Oblitumque mei mihi me rapuere loquelae.
Heu ubi conditi placida gravitate lepores,
Atque serenati divina modestia vultus?
O castigati Charitum sacraria mores.
O pietas, o cana fides, o mixta bonorum
Temperies. Unus habuit, quae flemus in uno.
At vos o digni Pylios transcendere fines,
Et tamen ante diem crudeli funere rapti,
Innocui Manes, nostri libamina luctus
Accipite has lacrimas. Et quos praestare Camenae
Non potuere meae, pietas compenset, honores.

7. *Epicedium in obitum Iani Dousae F.*

Sol qui labentes in saecula digeris annos,
Quis modus exequiis? quem fas caelestibus iris,
Aut conclamatis finem spectare ruinis?
Vix tua sidereo relegis vestigia passu,
Clarorum capitum semper nova funera cernis,
Et sine morte aliqua nunquam tua signa recenses.
Nec tantum exoriens caelestia sidera condis:
Deficiunt ipsas etiam sua lumina terras,
Occidua quorum caligant saecula luce,
Ut quum tu pallens, radios subeunte sorore,
Rebus ademisti subita sub nocte colorem.
Ergo dum praerepta mihi tot pignora cara
Flentur, et exequias totus dispensor in omnes:

Perdiderat iam cura metum. quasi nuspiam haberet
In nobis nova plaga locum, secura gemebat
Anxietas, dum mens requiem sibi credula fingit,
Solamenque mali, certos habuisse dolores,
Nec sperare novos, donec vis invida fati
Curarum finem cura mihi fecit in una,
Quum lectum iuvenem, vixdum pubentibus annis
Mors rapuit, non illa decus lacrimabilis aevi,
Nec cultae studiis speciem miserata iuventae.
O spes praecipites, o lubrica vota parentum,
Quos tirocinii pro mille laboribus haustis,
Olim mille manent orborum praemia luctus.
Flos Iuvenum, quae sors humanis rebus iniqua
Te nobis rapit, et tantum decus invidet orbi?
Quem iam sublimi Sapientia sede locarat
Praegressum fines rerum, metasque tenentem,
Quas pauci tenuere senes. qui limina victor
Ardua vix ulli votis adeunda priorum
Contigeras, inde incipiens, quo serior aetas
Desinit: inde vigil discendi exordia prima
Instituens, ubi finis erat. Verum ignea semper
Vis animi hospitium terreni corporis odit,
Angustasque moras virtus perfecta gravatur.
Quod summum est, in praecipiti est, nec tempore finem
Exspectat, primo quod iam maturuit aevo.
Vix tibi prima genas umbrabat flore iuventa,
Sextaque supremum claudebat Olympias annum,
Quum, velut ad primos expirans herba calores,
Deficis, et caelum praeceptaque sidera mente
Festinus repetis, turbas assuetus ab alto
Despicere humanas, proles non vana parentis
Dousiadae, qui si proprii splendoris egeret,
Splendorem potuit nati virtute mereri.
Ac quamvis patriae meritis, generisque nitore
Clarus eras: tamen ingenium superemicat omne
Altricis terrae meritum, genus omne vetustum.
Nec patriae stirpisve premi gravitate sinebas

Quas complexus eras praestanti corpore dotes.
Quodsi quis laudare velit patriamve genusve,
Moverit ambiguam dubio certamine palmam.
Nam quae diva tuas memorare Batavia laudes
Vis humana queat? Primordia quaerere voci
Conantem in varios sententia distrahet orsus:
Iustitiaene prius referat, bellive labores,
Exilii dulces portus, et moenia mundi
Hospita, tuta bonis sub legibus. Omnia magna,
Omnia: sed maius censeri laude virorum,
Quos generas, hominum iustissima mater, alumnos,
Inter quos clari fulgentia sidera lucent
Dousiadae, faculas velut inter Luna minores.
Nanque tuum decus omne tui: decus omne tuorum
Dousiadae. Semel una alios natalis honorat
Nobilitas: His omniparens Natura quotannis
Ingenii clara dat nobilitate renasci.
Haec quoque venturis quiddam memorabile saeclis
Omnibus a numeris et ab omni parte beatum
Parturiens, Agedum felix, age nascere, dixit,
Nascere, care puer. Mars vindicat hactenus omnes
Auctores vestri generis. Te docta Minerva
Excipiat cum patre sibi. Iam perge, tuorum
Qua nullus presso vestigia tramite flexit,
Nec soli vestro descendant stemmate fortes.
Per doctos numerentur avi. Non irrita fundo:
Magnus eris, si qua victricia rumpere Fati
Iura potes. Te saecla canent, te vivida nutrix
Annorum doctis instaurans tempora chartis
Posteritas memorabit anus. Te dicere nullus
Venturo poterit, nisi qui mirabitur, aevo.
Dixerat. Excepit vocem crudele renidens
Atropos, increpuitque minacibus omina signis,
Ne propria haec, dilecte puer, tibi dona manerent.
Ergo quod potuit, parco deducere vitam
Stamine, praecipitare colus, hoc improba fecit.
Caetera non potuit. Nam te circunstetit omnis

Nascentem Charitum, plausu florente, chorea.
Et tua tractantes vitreae cunabula Nymphae
Castalio puerum Permessidos imbre rigarunt
Confessae dominum. Felix natalibus omen
Pierides cecinere tuis, florumque recenti
Et ripae virides, et Renus risit odore.
Ipse sui sacri Genius visurus honores
Adfuit, Assyrio destillans tempora nardo,
Festa coronandae testatus gaudia lucis,
Sutilibus sertis, et plena turis acerra.
Et, quem te memorem, dixit, Puer, ignea signa
Et iubar, et rutili clara argumenta nitoris
Agnosco. Sed pone nigra nox obstrepit umbra.
O si vividior iustos tibi suppetat annos
Spiritus, et quantum satis est mortalibus aevi.
Non tibi certabunt Italae telluris ocelli,
Non Galli: non quos aluit Germania vates.
Nec se ullo tantum iactabit Belgica tellus
Ingenio, nec tot miracula cernet in uno.
Ah tibi ne coeptum praecidat Parca tenorem.
Ah tibi ne advertat saevos Rhamnusia vultus.
Verum o. Sed rigida Fati stant omnia lege.
Haec vix trunca Deus, singultus caetera pressit.
Plus potuit, quam vota Dei, lacrimabile Fatum.
Nec minus interea sertis halantibus Horae
Infantis cunas cumulant, et pollice presso
Expediunt plexis vaccinia nigra quasillis,
Ne tua mortalis suctus infantia lactis
Duceret, ipsa tibi puerilia labra rigavit
Ambrosiae succis redolentibus Attica Pitho.
Quod si vexaret vigiles insomnia curas
Intempestivis solvens vagitibus ora,
Non te somnifero nutricis naenia cantu,
Nec delinifico sopivit murmure lallus;
Sed te trina Charis, te sedula turba Camoenae
Certantes simul officiis, Sirenque Latina
Flexanimae blando Suadae mulsere susurro,

Carmine placantes pueri quod duceret aures,
Et puerum somnos placide suaderet inire.
Carmine, quod sancto Sapientia protulit ore,
Omnia Socraticae retegens arcana senectae,
Imbiberet teneris quod mustea sensibus aetas,
Atque impressa sibi rerum simulacra teneret
Insinuans, udaeque docens inolescere menti,
Servat ab imposito formas ut cera sigillo.
Inde puer Sophiae quas nox sopita figuras
Intulerat, vigilans agitabat mente diurna.
Et quod vix senibus duri tribuere labores,
Infanti fuit hoc puerilis ducere lusus.
Vixdum firmabas stabili vestigia gressu,
Ludicra nulla tibi, non vana crepundia cordi,
Non ignava quies, non desidis otia ludi,
Sed Musae tenues Pelignae gentis alumnae,
Sed teretes Calabro modulati pectine cantus,
Atque Maroneo gaudentes rure Camenae.
Inde ubi succedens annis labentibus aetas
Crescenti geminum properavit claudere lustrum,
Non tibi cessatas traduxit inertia luces.
Sed quae trina tuas motavit Gratia cunas,
Et tibi culturae primos afflavit odores,
Haec te informandum studiis curavit, et ipsa
Tradente, excipiunt insignes arte magistri,
Quos tua mens docilis, ceraque sequacior omni
Praevertens, annos longe post terga reliquit.
Qualis naturaque soli, coelique favore,
Enitens alte ramis se subiicit arbos:
Talis adulta tibi maior surgebat in horas
Vis animi, crescens occultis auctibus aevi.
Nec mora, fecundas depromis pectore dotes,
Exactum tenui deducens pumice carmen,
Quod non so[l]licito cruciabat lima labore,
Sed quod sponte sua proprios veniebat ad artus,
Forte epos, et molles Elegos, numerosque Catulli,
Et Parios natum sermoni carmen Iambos

Et momenta lyrae fidibus commissa canoris.
Denique quot rerum divina Poetica flores
Complexa est, uno pueri se pectore condunt:
Omnia quae tentata tibi felicibus ausis
Mentis inexhaustae primi lusere calores.
Mox ubi trina tibi quinquennia condidit aetas,
Te maiora vocant: rerum disquirere causas
Fert animus, docti recludere sacra Lycaei, [*Lycei?*]
Et veteris totos Academi pandere census.
Nec vero interdum caeli momenta volantis
Intentata tibi, nec quas Nilotica Memphis
Solis in exacto signavit pulvere metas.
Ut per prona ruit nivibus de monte solutis,
Nec iam finit aquas riparum margine torrens:
Per scripti omne genus latis discursibus erras
Ingenii, cui nulla fuit mensura ruenti.
Cuius ad excelsas dum se celer impetus artes
Expedit, et toto Sophiae se proluit amne,
Extenuant iuvenem vigilatae ex ordine noctes,
Tabet ab exhausto corpus miserabile succo.
Nec mora, nec requies, studiorum dulcibus amens
Immoritur curis, et vescos carpitur artus,
Abdicet ut vitam vitae immortalis amore,
Iam collecta cutim macies adducit: hebescunt
Collapsae vires: de tanto denique Dousa
Nil praeter linguam superest. ea sola parentem
Alloquitur, vacuique omnes effundit in illum
Reliquias animi: Non te, dulcissime rerum,
Luctibus obsessum longo sermone morabor.
Non ex praecipiti vitae mihi tollitur usus.
Iampridem morbi lenta obsidione peresus
Disco mori. Per ego te istam, quam desero, lucem,
Quamque tibi acceptam refero, ne confice curis,
Quem patriae debes animum. Desiste dolere,
Quod feror ante diem, quod funere tollor acerbo.
Vita suas metas actu, non tempore finit.
Sat vixit, qui sat patriae, sat profuit orbi.

Non bene de vitae queritur brevitate caducae,
Qui bene confecit, patriae quos debuit annos.
Nos meritum, non ordo, vocat. Iustissima mortis
Caussa est, efferri famae rumore secundo.
Viximus, et nostro surgit de funere nomen.
Tu quoque, cara Parens, tumidis iam parce querelis.
Debemus morbo, quod caecae incommoda vitae,
Quod dubios casus fugimus, quod lubrica rerum.
Nec nunc primum a me nomen tibi contigit orbae.
Quot gravibus curis dedimus, studiisque Minervae
Tot tibi deperiere dies. Dum viximus, orba
Mater eras. Nec nunc rapimur, sed poscimur, olim.
Idem me repetit, qui me tibi tradidit ante.
Vive, vale. aeternus signat mihi lumina somnus.
Talia dum perstat memorans, et utrique parenti
Morigeri alternum nati partitur amorem,
Plura locuturo tenebris velantur obortis
Haerentes oculi: vox imperfecta reliquit
Affectus dulces et verba vocantia matrem.
Quae fuit illius funestae noctis imago,
Qua Sol Belgarum pallentibus occidit umbris,
Excivit lacrimas, permiscuit omnia luctu?
Unica nec tantum vultum domus induit unum,
Induit et totus lugubria squalidus orbis.
Et quia non incisa potest adamante severo
Ferrea lanificum pervertere iura Sororum:
Edens indomiti signa haud obscura doloris,
Testatusque tuam, iuvenum doctissime, mortem
Explicuit claros elementa per omnia questus.
Te Reni patulae viridanti margine ripae,
Te Belgae flevere lacus. te dulce Lyceum
Lugduni viridi studiorum stemmate comptum.
Omnia luctifici dant argumenta doloris
Coniurata tuis iunctas conferre querelas
Exequiis, iunctisque lacessere planctibus auras.
Invida mors, rapti probrumque ac crimen ephebi:
Quantum erat, ut nascens sineres hoc crescere germen?

Quid nivei mores, annosque modestia praecox
Ante volans, quid serietas maturior aevo,
Aut quid virginei dotes meruere pudoris?
Omnia sunt ingrata; nec ullum gratia morum
Excipit, aut pietas. praeceps metit omnia Fatum.
At te felicem, quod casus fugeris omnes,
Quod non invidiae contagia senseris ulla,
Quod cum Fortuna minimum contraxeris: et te
Immunem fati malefidis rebus ademptum
Conditio melior caelestibus intulit astris.
Sis felix, caelique micans spectabile sidus:
Scaligeri memor esto tui senioris amici,
Dimidia quem parte sui nunc vivere cogis.

8. *Epicedium nobilissimi, innocentissimi, et doctissimi Iani Dousae a Noordwyck.*

Dousiades Musae (quid enim nisi flebile restat?)
  Laetitiae vestris demite signa comis.
Frondentes ederas tristi mutate cupressu,
  Tondite funesta pectora nuda manu.
Omnis, quae Dousae nascenti plauserat olim,
  Exequias Dousae turba frequenter eat.
Lugduni sedes, et culti sacra Lycaei, [*Lycei?*]
  Et varia insignes urbis ab arte viri,
Aspirate meis accentibus. omnis acerbi
  Vulneris indignas praeferat ore notas.
Publicus incessat dolor omnibus. occidit ille
  Vester amor, vestri summus honoris apex.
Quaeque dies Dousam, mundo quoque lumen ademit,
  Noctibus innumeris nigrius ausa nefas.
Dira dies, non te nitido produxit Olympo
  Vecta pruinoso Memnonis axe parens:
Sed tibi triste iubar pallentibus extulit umbris
  Tartareo peplo nox adoperta caput,
Ne foret ulla dies, non cui dedit Allia nomen,
  Quam detestentur publica vota magis.
Quippe quid inter tot signantes tempora luces,

Quam dirae titulum mortis habere potes?
Quid tibi cum claro est radiis Hyperione cincto?
Redde orbi Dousam. sol erat ille tuus.
Sed quid vana queror? dum mens evicta dolore
Verba iacit surdis diripienda Notis?
Quod fleo, non lacrimis, non est revocabile questu.
Iacturae tantae non capit ira modum.
Flos hominum quae te nostri feralibus aevi
Infensum vitiis ocior aura rapit?
Nec tibi concessi, modico quos limite fines
Temporis humani iusta senecta petit.
Sed medius moriens inter iuvenemque senemque
Nec iuveni propior, posteriorve sene,
Non exspectata hiemis statione recedis,
Autumno vitae praetereunte tuae.
Ah cur non annos totidem tibi sistere possum,
Quot morum merito vivere dignus eras:
Ut saltem humanis non tam cito rebus ademptus
Hospes in Elysiis vallibus umbra fores?
Sed quia lanificum rigidis vetat ordo sororum
Legibus, et dura stant adamante serae,
Quod possum, facio: singultibus aera nudum,
Atque interruptis sidera pulso sonis:
Ut si non aliud verso querar ordine rerum
Ante diem vitae pensa resecta tuae,
Atque annos quoscumque tibi post terga relinquit
Non exspectato fine peracta dies.
Alloquimur Superos. tepidae sua verba sequuntur,
Inque suis lacrimae questibus ora rigant.
Nec flemus surdis. respondent fletibus amnes,
Quos non exiguos terra Batava bibit,
Renus, et in Reni moriturus Mosa lacunis,
Et magni Reni portio magna Vahal.
Ipse etiam lacrimis nunc auxiliaribus auctus
Infrenes nullo margine finit aquas,
Priscorumque larum funus gentile professus
Insolito ripas Dousius amne premit.

Dousius, accepit gens a quo Dousia nomen,
Et gens, et veteris gentis avita domus.
Cuncta favent lacrimis, sociosque in tristia nostra
Contribuunt fletus faemina virque suos.
Et quibus exstiteras vultu vel nomine notus,
Omnibus indignus contrahit ora rigor.
Ille refert culto largas in pectore dotes.
Hunc tangit probitas, et sine labe fides.
Exactos alius generoso pumice versus,
Alter convictus dulcia membra tui.
Quotque tui meriti partes in mente revolvit,
Tot iusti causas ille doloris habet.
Ast ego convertor facies diversus in omnes,
Unde mei dubius carminis orsa petam,
Dum quot virtutum fuerit tibi copia, promo,
Quot fuerint, in te quae coiere bona.
Hinc me nobilitas, hinc me tua, summe virorum,
Virtus, et probitas, et pia vita rapit.
Nam tibi quae sublime genus natura creato,
Haec eadem mores ingeniumque dedit.
Ast quaecunque domus fuerit lux magna beatae,
Ingenii dociles non tamen aequat opes.
Est aliquid, fateor; clarae quae gentis ab ortu
Missa per innumeros gloria fulget avos,
Et nitidi generis seriem deducere longam
A magnis orta nobilitate viris.
Sed maior laus est titulis a mente petitis
Non sinere ingenium stirpis honore premi.
Tu quoque quum posses censeri laude tuorum,
Auctores generis quos tuus ortus habet,
Ne tua per segnem marcerent tempora vitam,
Sacrasti Aoniis otia tuta choris.
Tunc Cirrhaea suo patuerunt orgia vati,
Et tibi de viridi lecta corona iugo.
Prima tibi facili ludens Elegia iuventa
Dictat in alternos verba coacta pedes:
Et tibi subiiciens blandis incendia flammis

Saepe Cupidineo ventilat igne faces.
Et quod ames semper, semper quod scribere possis,
Materiam teneri lusor Amoris habes.
Nec tamen exili carmen deducere filo
Est satis, et senis iungere quinque pedes,
Ne regnum Veneris, puerique Cupidinis arcus
Carmen iners Elegis, causaque vana foret.
Historiae patriae monumentis eruta priscis,
Clarorum revocas fortia facta ducum.
Idque tibi debet patriae quod gesta Batavus
Nunc tenet, in patria qui prius hospes erat.
Quid referam Lyrico modulata poemata plectro
Nec male tentatum nobile carmen Epos?
Nil tibi felicis genii natura negavit
Utilis ad nitidi carminis omne genus.
His tibi transmissa est aevi pars prima quietis
Passibus, et strepitum non faciente gradu.
Et licet ingenui secessus otia quaerens
Ventosae fugitans ambitionis eras,
Te tamen accitum sancta in collegia Patrum
Quinque bis annumerat Curia summa viris.
Nec minus erronem civilia castra sequentem
Aoniae revocant ad sua signa deae:
Et quum prolatis redeunt diludia rebus,
Quidquid innumera lite vacare datur[,]
Ad Phoebi secreta, tui non transfuga moris,
Et veteres cultus, et tua sacra redis.
Et licet officium rigidos abducit in actus,
Te tamen in medio mens Helicone locat.
Nec pudet argutis Epigrammata ludere nugis
Inter clamosi praelia dura fori.
Denique quum magnum vivus sis nomen adeptus,
Maius ab exequiis quale nec ullus habet,
Ac te grandis honos volucri super aethera fama,
Et penna fatum non metuente vehat,
Non minor innocui vitio maculaque carentis,
Quam consummati laus tibi vatis adest.

Adde, quod ingenuae mentis non ultima mores
 Inter sinceros praemia candor habet.
Contra, mordaci quenquam distringere lingua
 Est animi nigro felle madentis opus.
Nulla venenatis salibus tibi pagina tincta est,
 Nec dedit infames lingua proterva iocos.
Nec, quae res aevo non est incognita nostro,
 Strinxisti in celebres impia verba viros.
Iure igitur querimur, te iure dolemus ademptum,
 Omnis et in partem turba doloris adest,
Et miscet gemitus, et verba querentia fundit,
 Pro tamen erepto non valitura viro.
Hei mihi quam celeri versat fors omnia lapsu,
 Quam rapido subitas alterat orbe vices.
Is, modo quem validum faciles vidistis, amici,
 Et cui nec dubius tinxerat ora color,
Hunc inopina brevis rapit inclementia morbi,
 Atque est, quod feretro triste levatur onus.
O festina dies, o rerum lubricus ordo.
 O nimium propero mors celerata gradu.
Me miserum, quo nos nunquam rediture relinquis.
 Nec prece, votiva nec revocandus ope?
Te retinent civem cognati sidera caeli,
 Et non turbandae pacis amica quies.
Nos habet in varios rerum districta tumultus,
 Inque catenatis vita trahenda malis.
Hic ubi nec requies, nec quae sibi quisque precatur,
 Sollicitaeque levant otia mentis onus.
Otia Pieridum sacris secessibus apta,
 Otia numinibus semper amata tuis.
Pro quibus insano reboant molimine lites,
 Et clamor streperi natus ad arma fori:
Qui procul Aonidas hominum de mente fugavit
 Instillans lucri blanda venena sui:
Ingenuisque animis ignavas obiicit artes,
 Seque vocans humilis carmina mentis opus.
Hinc spinosa suis armata Sophistica nugis

Incedens longo syrmate verrit humum.
Omnibus haec studiis, et, qui fecere beatos,
Cultibus exclusis, obtinet una locum.
Ipsae Pierides turpi suffusa pudore
Pallidulae salsis imbribus ora lavant,
Ac patrocinio defectae nulla queruntur
Pro deploratis artibus arma capi:
Sed stultos homines verborum nectere casses,
Aut dulci linguas prostituisse lucro,
Heroasque sacros, quos Iupiter aequus amavit,
Cum studiis propera morte perire suis.
Te quoque Barbaries nostri ne stringeret aevi,
Credibile est ipsos consuluisse Deos:
Utque Astraea omni terris pietate fugata
Ultima de Superum gente reliquit humum;
Sic tibi non vita haec, non tellus ante relicta est,
Iusta relinquendae quam tibi causa fuit.
Tempestivus abis, quum nil, quod rebus in istis
Laudares, nil non, quod querereris, erat.
Ergo neglectae linquens contagia terrae
Inter sidereos stella recepta sinus
Omnia Lunarem late subiecta sub axem
Despectas oculis inferiora tuis.
Non est mortalis (gemitus absistite) Dousa.
Non est mortalis Dousa. facesse dolor.
O vos, qui vivum Dousam fovistis amici:
O vos Dousiaci dulcia membra chori:
Exuite atratos gestamina tristia cultus.
Ista minus misero est digna colore domus.
Quum Dousa aeterna mutarit funera vita,
Funestam Dousae non decet esse domum.

9. *Epicedium in obitum V. C. Iusti Lipsi.*
Quisquis fecundo studiorum nobile cultu
Lovanium, celebres Belgii florentis Athenas
Ire paras, Lipsii doctos hausture liquores,
Siste gradum, si forte tuas non impulit aures

Rumor ab occasu caeli delatus ad ortum,
Te nescire vetans, claro quod Belgia planctu
Nesciri prohibet, nec mox Europa silebit.
Nam veluti magni Titan fax publica mundi
Non se celari patitur, visuque notari
Se docet, infernis vel cum sua lumina terris
Explicat, opposita vel cum negat illa sorore:
Sic qui luce sua magnum complexus Olympum
In se mirantis visus adverterat orbis,
Lipsiaden tanto defectae sole requirunt,
Quas vivus nitido perfudit lumine gentes,
Postquam tale iubar flammis insigne coruscis
Irradians nostrum scriptis illustribus aevum
Maerenti mundo nox intercepit oborta.
Non sic obscuro confundit lumine vulgus
Incumbens tenebris excluso Delia fratre,
Ut nunc sopitas decorum studiosa iuventus,
Et velut elatas in Lipsii funere luget
Ingenii raras magnis cum dotibus artes.
Sed sua Sol reparat, reparat dispendia Phoebe:
Illum tuta quies reducem non asseret orbi.
Sola viri tantum non una parte superstes
Vivit et in scriptis absentis spirat imago
Expressam referens speciem, vivique colorem.
Utque patrum similes vultus in prole relucent;
Sic animi niveos effinxit pagina mores.
Nam quae corpus iners bustis feralibus infert,
Terrenos oculis tantum mors invidet artus.
At pars nobilior natis in saecula mille
Asseritur libris, parvaque in imagine vivit.
Quo magis, o Lipsi, sibi te non credet ademtum
Posteritas, cum te per tot monimenta vigentem,
Perque tot eloquii foetus spirare videbit.
Qui quoniam multos, quos immoderatus adegit
Scribendi fervor, laudisque effusa cupido,
Viribus ingenii superas, regnoque loquendi,
Iccirco quaedam caelestis pignora mentis

Nascenti tibi contigerunt, ut celsus in arce
Eloquii linguae proceres fandique peritos
Infra te positos premeres. trans ardua vectum
Te sublime caput vulgi super ora ferentem
A vulgi captu melior natura redemit.
Flumina tu poteras veterum facunda virorum
Reddere, sermonis genios conversus in omnes.
Te conante oris dites effundere census
Vis tua Sisyphiden, brevitas superasset Atriden,
Mellitus Pylium vicisset Nestora sermo.
Sed te naturae cohibentem maxima dona,
Frenantemque citos intra tua limina currus
Regula summovit linguae de pluribus unum
In genus, optandum multis, imitabile nulli:
Quo tibi, non alii, deberes orsa loquendi,
In quo Nelides Laertiadesque recessu
Se victos longo, victum se sciret Atrides.
Ore tuo loqueris, nulli sulcata priorum
Aequora pervolitans priva rate carbasa tendis.
Nec tua tot raras habitantes pectora dotes
Ullius virtus effinxerit ignea mentis,
Nec summum eloquii simulatrix lingua colorem,
Non calami mores expresserit aemula dextra.
Sed quicunque volunt illo decurrere campo,
Per quem victrices flexisti solus habenas,
Verberibus surdis servum pecus aera caedunt,
Et vanis implent Danaeia dolia lymphis,
Immeritas soliti nugis disperdere chartas,
Ignari quaedam, quae dat natura creatrix,
Admiranda viris, sed non imitanda, relinqui.
Hactenus hac poteras contentus vivere laude:
Non tamen ingenium felix hoc fine quievit.
Nec prius imponis studiis metamque modumque,
Quam mentis vigiles Latiae per operta senectae
Immittas oculos, et scrinia praepetis aevi
Recludens, Romae quas nox premit alta ruinas,
In solem exponas, et amanti seria rerum

Sancta vetustatis populo miracula pandas,
Quae nondum praesens in apertum protulit aetas.
Non te praeteriit quae munia Consulis essent,
Non cum Tarpeii deductus ad edita montis
Limina, bis-senis aperiret fascibus annum,
Candida delibans conceptis omina votis.
Nec cum signa premens eboris caelata curulis
Sedatos regeret ponendo iura Quirites.
Non ignota tibi dubii suffragia campi,
Non cistae, non sors incerta volubilis urnae:
Non incisa suis legum tabularia saxis.
Daedala facundo florens tibi pagina textu
Horrida sanguineae discrimina pingit arenae.
Non absunt illic, agili quos collocet hasta
Venator, Libyci fulva cervice leones.
Non, quorum gladium confector in ilia condat
Comminus, exertis metuendi dentibus apri:
Aut matutinae non ultima munera pugnae,
Hispida Rhiphaeus gelida portenta sub Arcto
Quae generat saltus, spatiosis molibus ursi.
In quorum mortes veniunt et funus arenae
Vel qui composito gressu robusta tenentes
Intratura feras valido venabula nisu
Subsistunt ipsis, vel qui librata lacertis
Missilia expediunt tepidum potura cruorem.
Denique non illic, populi quae gaudia pascant
Luxuriaeque parent ludum, spectacula desunt.
Non quos praepinguis distentos mole saginae
In succum implevit membris arvina torosis,
Qui caput in caedes et mutua funera vendunt.
Hic et Mirmillo nixus subsidit in armis
Pendula declinans vibratae retia dextrae,
Verberaque a moto timet intentata tridente
So[l]licitis oculis tunicato tutus ab hoste.
Aut par aequimano pugnans cum Threce secutor
Improspecta cavet falcatae vulnera sicae.
Omnia quae tenebris erepta silentibus Orci

Miratur veri stupefactus imagine lector:
Non tam quod quaedam est priscis sua gratia rebus,
Quam quod flore tui vernant animata leporis
Lumine purpureo Tyrias imitantia luces.
Annorum saeclique parens longaeva Vetustas,
Cui caeli servit series, cui tempora vasto
Suppeditat natura sinu: quae saepe renascens
In tua te revocas vestigia, teque tibi ipsi
Restituis, volucri relegens exordia cursu:
Omnia veridicae dictant tibi facta Sorores.
Omne genus rerum tibi scribitur, omne laborum,
Virtutes hominum, vitiisque haerentia gesta,
Et res humanas incisas aere perenni
In tua congestis opibus sacraria condis:
Quae partim aeternis signarunt indita fastis,
Singula per varios complexi saecula casus,
Divinis homines accensi pectora curis:
Partim mersa nigris oblivio condidit umbris.
Et nunc cuncta tuis adytis abstrusa laterent
Irato caelo, ni vis humana subinde
Eruta de latebris caeli proferret in oras,
Quae doctis veterum chartis industria solers
Exposuit nondum proprios patefacta per usus
Arcanis acuens mortalia pectora curis:
Herbarum vires tacitas, artesque medendi,
Naturae partus varios, hominumque ministras
Quadrupedes, et tecta suis animalia lustris,
Pennigeras volucres, examina muta natantum,
Membra colubrorum caecis habitata venenis.
Adde his stelliferi motum comitantia mundi,
Et mundo adverso nitentia sidera: fratrem
Fulgentem propria, fraterna luce sororem,
Nimborum casus, elisaque lumina fissis
Nubibus, et trepidas terrentia fulmina mentes.
Quae quis non omni rimatur temporis hora?
Nec iam confertam nascentibus undique libris
Scriptorum turbam grassantum limite trito

Semita pressa capit, populumque in nota ruentem.
Ambitio fecit, vel opum vitiosa cupido,
Ne possint ullae sine bello vivere gentes,
Nec sine militia, quae belli praecipit usum.
Illa salutarem mortalibus extudit artem,
Quae docet, indicto ut per fas et iura duello
Res populi repetant, atque armis arma repellant,
Cuius et, in paucis ne mentibus illa lateret,
In commune bonum multi praecepta dedere.
Lipsius ante omnes: memori quae pectore servet,
Quando viam carpit Romanus in agmine miles,
Armorum et rigidi sub iniquo pondere valli.
Aut, ne pigra suis sub pellibus otia ducat,
Quando ciet festis belli simulacra diebus:
Quae loca sit melius praeducta claudere fossa,
Ut vallo iacto dux aggere castra coronet,
Quae quadris plateis, et secto calle viarum
Adversas spectent directo limite portas.
Et responsuris inter se per loca certa
Excubiis peragat vigiles custodia noctes.
Quod si forte iuvat porrecta per aequora campi
Explicuisse acies, hostemque lacessere pugna,
Pro rebus servare modum: quo tendere tractu
Cornua, quo deceat cuneos constringere gyro.
Sin audax fidit robustis moenibus hostis,
Tormentum murale graves ballista molares
Fulminis in morem contento turbine mittat:
Aut concussa suo labefactet moenia pulsu
Quod Poenus Cetras Byrsae bellacis alumnus
Librandum oscillum malo suspendit ab alto,
Ictibus ut crebris muri compage soluta
Pronam saxa trahant sensim subducta ruinam.
Aut caecis scrobibus molitus moenia miles,
Vinea quem pluteis et tecta fronte tuetur,
Effossae postquam telluris operta subivit,
Improvisa ferens vestigia ponit in urbe.
Tardigradam fossae lento molimine turrim

Admovet obsessor: venturam desuper urbi
Urit defensor saturatis sulfure vivo
Malleolis, piceoque instructis igne maniplis.
Aut subito emergens portis obsessa iuventus
Flammiferis facibus dextras armata nocentes
Per peritura vagam spargit munimina pestem,
In sua frustratos hostes tentoria cogens.
Caetera quid referam, quae Phoebi numine plenis
Exequitur velis aevi mansura per orbes
Lipsius innumeros, chartisque aeterna sacravit,
Prisca per assiduos complexus facta labores?
Qui quanquam hoc tanto devinxit pignore gentes,
Natura tamen ad summos revocante paratus,
Inseruit coelo vigilacis lumina mentis
Scita instaurando neglecta prioribus annis,
Porticus Actaea quondam quae sanxit in urbe:
Et veteres Senecae recolens praedivitis hortos
Excerpsit florum digestos mille colores.
Quo te praeteream Corneli magne piaclo,
Tempora quem nunquam Tacitum ventura tacebunt?
Qui modo purpurea renovatus membra iuventa,
Ut quem cinameis reparant incendia nidis,
Secla decem quoties vixit Phoebeius oscen,
Quicquid es, huic totum debes, cui plurima debet
Mundus, et antiquae gaudent quo vindice chartae,
Cura quibus Lipsii fugientes reddidit annos.
Singula sed laxis circumvectatus habenis
Expatior, celeri raptante per aera curru,
Dum me praecipitem, Lipsi, tua maxima virtus
Ignota regione rapit, neque suppetit ardor
Conanti spatium vasti transmittere campi,
Cui vix emisso de limine carceris, ante,
Quam tetigi metas, aeger trahit ilia pulsus.
Quod damus, officium satis est, non carmen, amico
Impendi, ne nos succo loliginis atrae
Suffusos, aut invidiae maduisse veneno
Postera vel credat, vel praesens arguat aetas.

Di prohibete nefas. habeant, quos tempore nullo
Laus aliena sinit securos carpere somnos,
Inque aliis odere, sibi quod abesse queruntur,
Non quos ingenuis decorant natalibus artus,
Et quibus incaluit generoso sanguine pectus.
Ventum est ad summum. nihil a livoris iniqui
Dentibus intactum est. scandit iam sidera pestis.
Quocirca moestae deiectis vultibus Artes
Exilio voluere nocentes vertere terras
Exosae nigros mores et crimina saecli.
Iamque in procinctu steterant, abitumque parabant,
Quum tibi mors, Lipsi, fessos operiret ocellos.
Invicta at pietas tantisper stare coegit,
Dum suprema suo solvissent iusta parenti.
Mox te illo, quo tu fugisti, calle sequentur.
Felix o nimium felix. viventibus olim,
Vixisti studiis: moreris morientibus iisdem.

10. *Epitaphium Io. Boiselli I. C.*

Quae, Boiselle, fuit votorum summa tuorum,
En volvenda ultro contulit hora tibi.
Quod non ulterius terris considere velles,
Quam patriae posses utilis esse tuae.
Nam quamvis haustu Phoebaeae lucis ademto
Perpetua ante oculos nox stetit atra tuos:
Indelibatae virtus tamen integra mentis,
Et pro sollicitis impigra cura reis,
Semper inextincti suffecit luminis usum,
Civica pro dubiis litibus arma ferens.
Ac suprema licet spatio tibi vita peracto
Stringebat metas interiore rota:
Mansisti, ut posses patriae componere lites;
Postquam perpetua lite laborat, abis.

11. *Epitaphium Georgii Buchanani.*

Postquam laude tua patriam, meritisque beasti,
Buchanane, tuis Solis utrumque latus:

Contemtis opibus, spretis popularibus auris,
Ventosaeque fugax ambitionis, obis:
Praemia quina quater Piseae functus olivae:
Et linquens animi pignora rara tui:
In quibus haud tibi se anteferent quos Itala vates
Terra dedit; nec quos Gallia mater alit,
Aequabunt genium felicis carminis, et quae
Orbis habet famae conscia signa tuae.
Namque ad supremum perducta poetica culmen
In te stat, nec quo progrediatur habet.
Imperii fuerat Romani Scotia limes:
Romani eloquii Scotia finis erit.

12. *Epitaphium Abrahami Ortelii.*

Quid dignum, Orteli, quid magnum pectore promam,
Quo possim cineri solvere iusta tuo?
Exciturus eram doctas in carmine Divas:
Carmina sunt meritis inferiora tuis.
Impendendus erat Mundus: sed pectore Mundum
Cepisti: laudes non capit ille tuas.
Quid faciam? melius coeptis desistere: abunde
Laudatur, cui laus nulla sat esse potest.

13. *In obitum Eliae Putschii.*

Ergo tibi, Putschi, magna et praeclara minanti
Iniecere avidas invida fata manus?
Heu ubi sunt fructus, quos me sperare iubebant,
Ah frustrata meam credula vota fidem?
Ille Camoenarum cultis generosus in hortis
Flosculus e tenera surgere iussus humo,
Ortus et oppressus simul est. una extulit, una
Abstulit, ut gramen solstitiale, dies.
Gloria maturos tibi iam properabat honores:
Ingeniis magnis iam metuendus eras.
Iam tibi decurso spatio vis fervida mentis
Stringebat metas interiore rota.
Iam promittebat facilem Victoria palmam:

Restabant curis praemia danda tuis:
Sed Mors invidit: ne qui pubentibus annis
Aequasti, posses praeteriisse viros.

14. *In obitum V. C. Francisci Iunii Biturigis.*
Iuni, quem modo litteris potentem
Pleni Gymnasii frequente coetu
Cingebat docilis corona pubis
Docto pendula disserentis ore:
At nunc, o series iniqua rerum,
Tactus sidere pestilentis aurae
Sol pallentibus occidis tenebris!
Te moerens schola flet suum magistrum,
Orba Ecclesia te suum parentem,
Doctorem gemit orbis universus.
Flent, flent; non uti vulgus imperitus,
Quem morbus docet ipse, quid valere est,
Quanti est filius, orbitate discit,
Qui nec denique quid potitus olim est,
Sed quid perdiderit, solet putare.
In te longe alia est vicissitudo:
Nec quantus fueris, carendo discit,
Qui vivi meritum aestimavit olim.
Et nunc conscia publicae querelae
Postquam tristia te tulere fata,
Et clarum iubar abstulere mundo,
Nos quid perdidimus, quid et dolendum est,
Non scimus magis, at magis dolemus.

Lugd. Bat. Duabus horis post mediam noctem in lectulo.
Anno 1602.

15. *Epicedion Adeodati Sebae* [Theodori Bezae].
Magne senex, miti quem funere nuper ademtum
Allobrogum molli cespite velat humus,
Quamvis aeterna caeli regione receptum
Te seposta piis manibus aula tenet,
Iamque es decurso spatio delatus in ipsum,

Semper anhelabat quo tua vita, locum:
Quod tamen haud pridem caris ereptus amicis,
Atque illis nunquam conspiciendus abes,
Solvimur in lacrimas. Omnes tua signa secuti,
Et commilitii strenua membra tui,
Aut memorem clara testantur voce dolorem,
Aut contracta notis tristibus ora gerunt.
Sebam matura solverunt fata senecta:
Longius ast nobis Seba fruendus erat.
Excipitur Sebae cognatis spiritus astris:
Ast Sebae in terris utile pectus erat.
Non caelo admissum (quid enim felicius illo?)
Sed terrae ereptum femina virque dolent.
Est aliquid longae finem promittere vitae,
Et dare discessus pignora certa sui,
Quum sensim moriens senior longaevus, amicis
Moerendum linquit post sua fata nihil,
Et moriendo magis, quam mortuus afficit illos.
Nam longum senium funeris instar habet.
Quis tamen in patrem, quem summa senecta resolvit,
Impendi lacrimas iure, negare potest?
Vixerit innumeros, aequarit Nestoris, annos,
Implerit vitae tempora longa suae:
Immaturus obit. Pietatis iura, parentum
Non vitae, lacrimis non posuere modum.
Nullus ut optandi longaevae tempora vitae,
Sic nullus flendi funera finis adest.
Quum tua, summe virûm, pietas exegerit, ut te
Possemus iusti patris habere loco,
Quis nostras damnet lacrimas? quis flere parentem
Intempestivum dixerit officium?
Stabat Olympiadum, fateor, iam meta tuarum,
Atque bis undecimae tertius annus erat,
Emeriti quando te post stipendia cursus
Composuit placido fine beata quies;
Qualiter autumni cocto flaventia succo
Pendula poma suo pondere fessa cadunt.

Festinata tamen querimur tua fata, neque ultra
  Nostra tuos cursum tendere vota dies.
Sed tamen hoc melius, quam si felicius aevum
  Rupisset vitae stamina longa tuae,
Indelibato pietas quum flore vireret,
  Et sacer afflaret pectora casta calor,
Nec caperet tellus examina tanta piorum,
  Divinae laudis quos stimulabat amor:
Quum veri studiosa tuae de flumine linguae
  Ora rigaturas turba sitiret aquas:
Et quae non modico murorum clauditur orbe,
  Vix satis hospitiis ampla Venega foret; [*Geneva?*]
Totque peregrinis coleretur gentibus illa,
  Pene quot indigenas vel satis esse fuit.
Felix, qui tali vivens interfuit aevo!
  Hei mihi, quas aetas nunc rotat ista vices!
Aurea saecla Dei mutans peiore metallo
  Infecit nostros decolor aura dies,
Quaeque incendebant caelesti pectora flamma,
  Dilapsae in cinerem nunc tepuere faces.
Qui vix signavit prima puer ora iuventa,
  Cui pius imbuerat flammea corda timor,
Transfuga castrorum meliores abdicat artes,
  Militiae calcans foedera prima suae.
Nec minus interea, serae sub fine senectae
  Sunt qui deserto terga dedere Deo.
Omnibus incessunt sinceri taedia cultus:
  Et nova materies, et nova causa subest.
Illum dira trahit blandi pellacia quaestus,
  Hunc rapidus vortex ambitionis agit.
Quid loquar, ut nigris grassans insania chartis
  Probra venenato lurida felle iacit,
Atque latrocinii sub imagine plurima vulgo
  Invadunt lectos scripta proterva viros?
Vixque ipsum victo tutum est a crimine caelum.
  Pene Deum rabido provocat ore furor.
Tu, qui perfidiae primordia videris huius,

Hoc melius, quod non his graviora vides.
Utque Dei famulo non Hippo superstite capta est,
Quum quateret Libycas Vandalus hostis opes,
Indulsit tibi sic praesentia Numinis, isto
Cernere ne posses ulteriora malo.
Atque utinam celeres rapiant procul omina venti,
Et potius mendax finxerit ista metus.
Sed te felicem, qui non spectacula praesens
Ista gemis, vel non deteriora times.
Nos infelices, tua quos absentia curis
Urit, et immemores non sinit esse tui.
O quoties animo venerandae frontis imago,
Et pulchri species oris honesta subit,
Et placidi mores, et fandi lactea vena,
Et non moroso tincta loquela sale!
O quoties plenae moderantem frena coronae
Obstupuit verbis pendula turba tuis!
Ut te spectaret, patriam non linquere Graecus,
Sarmata non longas horruit ire vias.
Mollivit tantos spectandi caussa labores:
Et Sebam merces sola videre fuit.
At quia nec nobis doctae dulcedine linguae,
Praesentis vivo nec datur ore frui,
Nunc superest cultis mentes advertere libris,
Et quodcunque vigil cura paravit opus.
In quibus et foetus supra caput extulit omnes
Ille tuorum operum summa caputque liber;
Quo penetrale Novi reseratur Foederis, in quo
Discussa lucem nocte videre datur.
Hic nobis Seba est, Sebam spectamus in illo.
Totus in hoc speculo Seba videndus adest.
Non alia est, quae te praesentiaque ora reducat,
Usurpanda oculis picta tabella meis.
Iamque vale. Toties mihi mens te fingat adesse,
In libris quoties haeserit illa tuis.

Obiit 1605 XIII Octob.

16. *In obitum Lucae Trelcatii F.*

Postquam tot Christi famulos, tot lumina mundi
  Funeribus densis mersit acerba dies,
Te quoque Trelcati, media florente iuventa
  Mors comitem tantis addidit atra viris,
Ut pullo squallens Ecclesia fleret amictu,
  Fleret Athenaei muta cathedra tui.
Haec te pastorem, desiderat illa magistrum.
  Utraque dat lacrimas orba parente suo.
Iustus utrique dolor. tu parte beatior ista es,
  Quod tali potius tempore raptus obis,
Quo fas omne perit, quo non amor ullus honesti est,
  Cumque sua iustos mors pietate metit.
Quod nisi sublatis iustis te fata tulissent,
  Tempus erat iustos te moriente mori.

17. *In tumulum generosissimi Asseraci.*

Uxor marito.

Hoc ego te modico coniux tua fida sepulcro
  Composui Asseracae flos et ocelle domus.
Nec tantum, mea cura, tuos componimus artus:
  Tota in morte tua vita sepulta mea est.
Cum prope depositam me ingrata in luce relinquis,
  Cum lucem, cum tu gaudia nostra rapis.
Namque mihi tu lux, tu gaudia nostra fuisti,
  Care vir, o animae maxima flamma meae.
Nunc tibi sum quidvis, vel si vis sum tibi coniux,
  Dum modo tu mihi sis quod mea vita mihi est.

Εἰς τὸν αὐτὸν 'Ασσήραχον.

'Α δ' ἐγὼ αἰνολεχὴς ά σὰ δάμαρ ὧδε σ' ἔθαψα
  Ὦ θάλος 'Ασσαράκων καὶ φάος εὐπατριδᾶν.
Κ' οὐ μόνον, ἁδὺ μέλημα, τὸ σὸν δέμας ἐνθάδ' ἔθαψα,
  'Α ζοὰ ἐν τᾷ σᾷ κῆρι κέκευθεν ἐμά.
Ὅς γα καὶ ἡμιθανῆ καὶ ἀηδόβιόν με λέλοιπας,
  Ὅς τὸ φάος τά τε μεῦ ὤχεο φίλτατ' ἔχων.
Καὶ γὰρ ἐμὸν σὺ φάος τά τε φίλτατα μῶνος ἔησθα,

Ὦ πόσι ἐχμήνας τοὐμὸν ἔρωτι κέαρ.
Νῦν δ' ὃ θέλεις ... ἄνερ ἔσσομαι. ἀντὶ δάμαρτος δ'
Αἴκε θέλεις: σὺ δ' ὅλως ἴσθι μοι ἀντὶ βίου.

IAMBI GNOMICI.

1. *Superstitio.*

Postquam suborta criminum licentia
Labefecit almae Veritatis moenia,
Quae numen ipsum condidit verbo suo:
Palam imperatus et receptus legibus
Augustus error, sanctaque ignorantia
Defensa paulatim impudentiae ausibus,
Usu tyranno nacta vim scientiae
Hominum supinas conscientias ligat
Vocum numellis, cassibus sophismatum.
Iniuriosa deinde pietas in Deum,
Quem metuit horrens, et profanans quem colit:
Tum, quae imperitis sola velamenta sunt,
Falsi vetustas, atque culpae auctoritas,
Lenocinantur mentis aegrae somniis,
Et iam labante pariete inclinant magis,
Stultae Suadae splendide fallax amor,
Vanis in animis qui cuniculos agit,
Ut Veritatis subruat constantiam,
Tum fortuiti ficta maiestas sacri,
Fraudi colorem castimoniae illinunt.
Est semper aliquid quod refert mendacii
In claritatem dubia stultorum fides.

2. *Amor monachatus.*

Si laudem in animo statuis esse maximam,
Servire patriae publicisque commodis,
Sive in Senatu, sive in aula Principis
Te vita semper actuosa exercuit,
Domi beatum, gloriosum publice:

Persona, primum quam tibi imposiveris,
Ad ultimum usque perferatur exitum.
Nec in recessu solitudinis ferae
Actus honestos squallidis inertiae
Damna tenebris. Cur relinquens te foris,
Te rursus alibi quaeris? Hominum e coetibus
Exire ineptum est, antequam e vita exeas.

3. *Doctus in Aula.*

Cultor Camoenis debiti silentii
Finxere pectus cui politum literae,
Venisti in aulam literatus arbiter
Negotiosae et inquietae inertiae.
O quale debes omnibus ludibrium
Asellus inter simias! Tune hic, ubi
Unum e tot hominum plebe vix hominem vides?
Ubi nil tui sit, nullus hic locus tibi est.

4. *Nobilis imperitus.*

Sunt discolores vestibus plebs, nobiles.
Sed concolores sunt utrique moribus.

5. Amicus a te si quid exspectat boni,
Id omne debet expeti, non exprimi.
Extorta neminem obligavit gratia.
A non volente quod datur, non debeo.

6. Illiberalis indigentem quum videt,
Occasionem, cur nihil det, aucupat.
Quis tu es? quid es mi? proximus sum egomet mihi,
Hoc non habebo, quod dabo. Indigentiam
Contemnit alienam ille, qui suam timet.

7. Assuete pauper invidere diviti,
Cui semper eius ex bonis oculi dolent,
Contende captu cum tuo captum illius.
Habentiae eius tu aemulator, hic tuae est

Securitatis. Hic veretur perdere,
Tu vis habere. Cogita quanto minor
Habuisse nunquam sit dolor, quam perdere.

8. Avarus atque prodigus, pecuniae
Sunt ambo egeni. Prodigus pecuniam
Mox non habebit. ast avarus nunquam habet.

9. Quascunque in arca condit aggestas opes
Avarus, aliis abstulit, negat sibi.
Fraudavit alios, seque fraudat ultimum.

10. Opum redundans rivus, et superfluens
Licente luxu, moribus frugi nocet.
Duris egestas cogit in rebus bonos
Patrare famae non decora pristinae.
Viri beati vita castigata sit
Ut non egena, sic egenae proxima.

11. Stulta est cupido, quae dies longos sitit,
Et plurimum aevi plurimas vitas putat.
Concelebrant: animum picta tabella capit.
Nobis nec fas est coeli convexa tueri.
Inclusas curis sed domus atra coquit.

ζ (79) Μηδὲν ἄγαν, σοφὸς.
Prudentis scitum est, Ne quid nimis; Ast ego fastus
Indueram, quasi sal, aut mihi forma foret.
Credideram unius, neque ea est sine fraude, puellae
Totam animam in manibus semper habere meis.
Haec, quasi poeniteat morum, vitaeque prioris,
Intumet elato vana supercilio.
Sic prius ille ferox, ille aereus, ille ego tarde
Credulus, ac tangens astra, repente ruo.
Nam vertere vices: et supplex clamo: Nocentes
Aetatis vitio (parce Puella) sumus.

ζ (81) Ποίην τὶς πρὸς ἔρωτας.
Quodnam iter insistas in amoribus? Ecce petaces
In triviis luxus non patiere lupae.

Sin te virgo capit: vel eam tibi nubere ius est,
  Vel corruptorum est poena ferenda tibi.
Nuptas sollicitare ad stupra, quis, unde voluptas
  Nulla est, quantumvis cogitur ipse, potest?
Est in adulteriis multa alea, fructus amoris
  Nullus. In his pueri est turpis habendus amor.
Volgivagae viduae passim suus extat amator;
  Quippe animum, mores et meretricis habet.
Castior est? tibi vix succumbere vixque coacta,
  Mox stimulos odii concipit aegra novi.
Factum odit: quia nec periit pudor omnis, amori
  Aptas solvendo quaeritat usque moras.
Sin magis ancillae cupidis amplexibus haeres:
  Sive tua est; famulae servus es ipse tuae:
Sive aliena; notam tibi lex tamen irrogat, in te
  Mancipii haud proprii nomine probra ciens.
His se Diogenes pulchre extricavit: Et illi
  Pellex, absque ulla Laide, palma fuit.

Ὄμματα δινεύεις. ζ (82)

Lumina distorques tacitas prodentia flammas:
  Ductas purpurea valga labella rosa:
Fringultis tremulum: vibras lasciva capillos:
  Iactas effusas, me quoque teste, manus:
At nondum illa tui cecidit constantia fastus.
  Marces: ille tamen masculus horror adest.

Νῦν καταγιγνώσκω. ζ (83)

Mirum, quod non mutet ob hanc se Iuppiter. illi
  Irascor. rudis est: nil in amore videt.
De forma non Europae, Danaeve puellae,
  Non ea concedat, candida Leda, tibi.
Ni forte est, quod scorta fugit vulgaria, Regum
  Corrupit natas. Hoc, scio, crimen habet.

Ἄρσενας ἄλλος ἔχοι. ζ (84)

O valeat puerilis amor. Complexibus utor

Foemineis, in quis est diuturnus amor.
Turpe puer catamitus. In hoc mihi displicet illa
Praematura horrens invida pube cutis.

ζ (85) Ψαῦε μελισταγέων.
Tange, Calix, mel oris; habes. Mulgere licet, nec
Invidia est. Utinam tu quod es, ipse forem!

ζ (86) Ἱμερτὴ Μαρίη μεγαλίζεται.
O quam ius penes est, et cura retundere fastus,
Elatae Mariae pectora, diva, preme:
Non ut morte luat poenas, sed vertice toto
Caneat, et corpus ruga senilis aret.
Exigite o cani lacrimarum nomine poenas:
Et culpam culpae conscia forma luat.

ζ (87) Δακρύεις, ἐλεεινὰ λαλεῖς.
Flens loqueris, lacrimas, temere aspicis, ureris aestu
Zelotypo, attrectas, oscula crebra seris.
Istud amare quidem est: id, me dicente, parata
Sum, cum dissimulas, non id amantis habes.

ζ (88) Μῆλον ἐγὼ βάλλει.
Malum ego, me iecit qui te perit. annue amanti
Xanthippe. nostrum flos utriusque perit.

ζ (89) Τὸν σιγῶντα Φιλαινὶ.
Arcani mutus testis fac lumen olivo
Sit satur, et prodi, chara Philaeni, foras.
Nam sese vivis spectari testibus odit
Solus Amor. Tu mox obde, Philaeni, forem.

ζ (90) Νὺξ ἱερὴ, καὶ λύχνε.
Nempe ambo alterno iuravimus ordine pactam,
Testis eris tu Nox, tuque Lucerna, fidem.
Ut neutri neutrum fas esset fallere, vobis
Testibus, accepta est, et data utrinque fides.

Irrita quae rapidis iactari dicit in undis:
  Alterius gremio hunc ecce Lucerna vides.

Aliter.

Non alius nobis, cum foedera sanximus ambo,
  Quam tu Nox testis, tuque Lucerna, fuit.
Sanximus unanimes; ego, me hoc non posse carere:
  Hic fore me (testes estis uterque) suam.
Hic nunc tradit aquis, mihi quae iuravit amanti.
  Hunc aliae (sed te teste, Lucerna) fovent.

Οὔπω σοι καλύκων. ζ (91)

Virgineae nec pubis hiat dum flos tibi: nec dum
  Autumni livet primitus uva tui:
Cum tamen acer Amor acuit iam cote sagittas[,]
  Lysidice, et tacito ventilat igne faces.
Ah fugite, o miseri, dum non ferit arcus, amantes:
  Quam magnos mox est flam[m]a datura rogos.

Ψυχή μοι προλέγει. ζ (92)

Praedicit mihi dudum animus memor ante malorum
  Ut fugiam flammas, Heliodora, tuas.
Dicit: nulla fugae tamen est via: quo magis acer
  Ille monet; magis hoc impatienter amat.

Ὁσσάκι Κυδίλλης. ζ (93)

Ah quoties audax nunc clara luce, sub ipsum
  Cydillae veni, nunc ego nocte, sinum;
Per praeceps toties, fateor, vestigia figo,
  Et toties capiti est alea iacta meo.
Quid tum? omne audet amans. Amor huc quem versat, et illuc
  Cumque: nec in somnis cogitat ille metum.

Ἑξήκοντα τελεῖ Χαριτώ. ζ (94)

Haec agitur, Charito, tibi sexagesima messis,
  Et manet in nigris crinibus ille tenor:
Nec rugis sulcatur adhuc cutis aspera. Suadam,

Ambrosiam, Charitum millia fundis adhuc.

ζ (95) Ἠράσθην. τίς δ' οὐχί.
Comissavi alias. quasi nemo hoc fecerit. arsi
In furias. quasi non me furiarit Amor.
Alea nunc iacta est. cani subiere, piloque
Nunc sapiens aetas deteriore venit.
Cum tempestive licuit, tum lusimus. at nunc,
Tempus ubi non est, ad meliora vocor.

ζ (96) Ἠράσθης πλουτῶν.
Dives amavisti, Sosicrates. Ast modo pauper
Nullus amas. Quanta est, proh, medicina fames?
Quae te deliciasque suumque vocabat Adonim,
Menophile, nomen nunc rogat illa tuum.
Fare, quis? Unde domo? quae gens tibi? nunc bene nosti
Antiquum hoc: Inopem nullus amare solet.

ζ (97) Ἡ χαλεπὴ κατὰ πάντα.
Aspera et indomita feritate Philesion illa,
Illa ullum, precio non sine, passa virum,
Mitior haec nunc esse videtur. at esse videri
Hoc leve, mutatum nec reor ingenium.
Sic quae lenitis mansuescit moribus aspis,
Cum mordet, nihilo secius illa necat.

ζ (99) Μικκὴ καὶ μελανεῦσα.
Et patua est et fusca Philaenion. Ast mage molle
Non apium, non est blandior agnus ea.
Non illex ita cestus, ut eius verba. Patere
Omnibus, interdum poscere parca, solet.
Haec placeat mihi sola Philaenion, aurea Cypri,
Succurrat potior donec amica mihi.

ζ (100) Ψαλμὸς καὶ λαλιή.
Ars fidium atque loquela, argutaque lumina, carmen

Xanthippes, et, qui iam novus ignis init,
O anime, urent te. Unde, aut quando, quove modo, illud
Nescio; tunc, cum ignis te coquet ille, scies.

ζ (101) Ὦ ποδὸς, ὢ κνήμης.
O pes, o crus, et, quod me male perdidit olim,
O femur, o natis, o pecten, o ile duplex:
O humeri, o mammae, o cervix procera, manusque
O duplices, o quae lumina me furiant:
O fraudum artifices motus, o lingua retorquens
Anfractus, o me vocula debilitans!
Quod si opica est, si nigra, canit neque carmina Sapphus;
Quid tum? Indam Perseus arsit et Andromedam.

ζ (102) Ἡ κομψὴ, μεῖνόν με.
Bella mane me, bella. quod est tibi nomen? ubi mi
Condicis? quod vis, hoc dabo. non loqueris?
Dic ubi eris? mittamne aliquem tibi? numquis habet te?
Ergo vale. nec mihi dicis, iniqua, Vale?
Ast iterum atque iterum accedam tibi. Saepe subegi
Quas nec duritia viceris ipsa. Vale.

ζ (126) Πέμπω σοὶ Ῥοδόκλεια.
Floribus omnigenis plexas, R[h]odoclea, corollas,
Quas etiam ipse meo pollice subsecui,
Mitto tibi. Sunt hic anemonae lilia iuncta,
Et cum narcisso, cum violisque rosae.
His induta caput fastus dedisce superbos.
Et tu marcesces, atque corona tua.

ζ (133) Ὑψοῦται Ῥοδόπη τῷ κάλλει.
Muneribus formae Rhodope tumet: huic ego salve
Dixi, cum fastu me resalutat ea.
Floriferis quoties intendi lumina sertis,
Calcat, inhumano prosubigitque pede.
O rugae, o senium, citius properate, venite;
Et vobis Rhodopen flectere posse datum est.

ζ 157) Μήνη χρυσόκερως.
Luna vide, vosque o radiantes noctis ocelli
Astra, sub Oceani sueta subire sinum.
Discessit, meque hic fugitiva reliquit Ariste,
Improba post sextum non mihi visa diem.
Vestigare tamen certum est, immittere odoros
Cypridis, argenti grande numisma, canes.

ζ (162) Ὄρθρος ἔβη Χρύσιλλα.
Lucescit, Chrysilla. vigil iam gallus acuto
Infensum nobis provocat ore diem.
Alituum pereas importunissime, qui me
Visurum aequales exigis inde domos.
Fis, Tithone, senex. Nam cur tam mane fugasti
Auroram e tepido, lente marite, toro?

ζ (177) Νῦν μοι χαῖρε λέγεις.
Nunc mihi dicis, Have, postquam tuus ille nitore
Marmoreo vultus purior obsoluit.
Nunc mihi subrides, postquam tibi tempus ademit
Cervici solitas involitare comas.
Hinc apage a nobis. nobis occurrere noli.
Non mihi pro tenera spina legenda rosa est.

ζ (181) Εἴ μοι τὶς μέμψοιτο.
Si vitio mihi quis vertit, quod servus Amoris
Erro, quod omne oculis aucupor alitibus,
Ille Iovem sciat, ac Ditem, Dominumque profundi,
Serva Cupidineo colla dedisse iugo.
Si tale, atque homini genus est imitabile Divum,
Post divos, quodnam crimen amare meum est?

CARMINA SELECTA.

Theognidis.

1. Vinosum non est fas siccos inter adesse:
Siccum vinosos inter adesse nefas.

2. Qui vini excessisse modum se postulat: impos
Est animi, linguae est impos et ille suae.
Atque oggannit inepta, et quae turpissima siccis,
Nil et inexpertum, dum madet ipse, finit.
Mente prius compos, tunc infans. Ergo memento
Intra legitimum sumere vina modum.
Surge prius quam mens vino deponitur: et ne,
Ut mercede merens, ventre trahare, vide.

3. Mensurae oblitos vini vis sumpta, modestum
Et stultum, vacuos mentis utrosque facit.
Argentumque aurumque explorant igne periti:
Ast hominum nudat mentis operta merum
Quamvis prudentum, vitiumque examinat omne, et
Vel cautis rubeant ora pudore, facit.
Vina caput mihi concutiunt, Onomacrite: agit me
Vinum: nec mentis sat bene compos ego.
Tota domus circum quatitur. Sed surge age, sodes:
Experiar, vini vis habeatne pedes,
Atque animi mentem. metuo male ne quid ineptum
Ebrius et madidus, neve pudenda geram.
Temeto nimio si plus utare, nocebit:
Si modico, haud noceat, proderit imo magis.

Eratosthenis.

Viribus aequiparat flammae simul insinuavit
Vinum hominem, qualis salsa profunda maris,
Aut Aquilo, aut vis Austri exercet, operta resignat
Funditus, atque hominum pectora tota quatit.

Hesiodi.

Qualia dona dedit Liber, vitaeque beatae,
Materiamque odii, praeter ius vina bibenti.
Et linguam caecis, mentemque pedesque manusque
Vinclis stringit: at is declinat lumina somno.

Hegesandri apud Athenaeum.

Silonicaperones, vibrissasperomenti,
Manticobarbicolae, exterebropatinae,
Planipedatque lucernitui, suffarcinamicti,
Noctilatentivori, noctidolostudii,
Pullipremoplagii, sutelocaptiotricae,
Rumigeraucupidae, nugicanoricrepi.

Sequens quoque epigramma e Graeco se vertisse aiebat Scaliger.

Hunc immortali florentem Amaranthon honore,
Lilia non tactas haec imitata nives,
Nos tibi, sancta Venus, geminorum mater Amorum,
Ponimus, unanimi pectora iuncta fide.
Tu contra fac noster amor celebretur in omni
Immortalis, ut hic, purus, ut illa, loco:
Cordaque amicitia coeant sic nostra duorum
Ut iuncti flores hi coiere simul.

SOPHOCLIS AIAX LORARIUS, stilo Tragico translatus.

ΙΩΑΝΝΟΥ ΓΑΡΔΕΣΙΟΥ

εἰς Ἰώσιππον Σκάλανον τὸν τοῦ Σοφοκλέους Αἴαντα μεθερμηνεύσαντα.

Οἴστρῳ ἀμερσινόῳ πληγείς ποτε θούριος Αἴας
Νυκτιμανεῖ κεραοῖς ἔνθορε βουσὶ ποδί.
Αὐτοῦ δ' ἀντιβίους ἔμεναι δὴ πάμπαν ὀΐω
Κείνους αὐτοῖσιν τοῖσι βοτῆρσιν ἕλε.
Τὴν ῥα οἱ ἐν νόσον ὦρσε κακὴν γλαυκῶπις Ἀθήνη[,]
Ἔγκυον ἀφροσύνης ὄμμασι χῦσα νέφος.
Ἥ τ' αὐτὴ δὲ θεὰ μανίης Σκάλαν' ἔμφρονος ἦτορ
Σεμνομανὲς κέντρῳ ὀξυσόφῳ σε τύπε·
Ὢ μὲν ἐνὶ πραπίδεσσι τεαῖς μάλα πόλλ' ἐρεθισθεὶς
Δαιμόνι' οὔτε βόας, οὔτε βοτῆρας ἕλες.
Ἀλλ' Ἄϊδός δε πυλάρταο θρασυκάρδιος ὁρμῶν,

Χ' ᾅτερος Ἡρακλέης κερβερόνικος ἐών,
Χειρὶ φερεσβίῳ ἄμμιν ἀνήγαγες Ἄκκιον εἰς φῶς
Μάψ δὴ ὑλακτεῦντός σοι μετόπισθε κυνός.

Τοῦ αὐτοῦ εἰς τὸν αὐτόν.

Ἔα τί τοῦτο; τί χρέος θεήλατον;
Ἐνθουσιασμοῦ συγγενοῦς καὶ συντρόφου
Ὄντος γ' ἐλευθερίᾳ, Σκάλανε, πῶς δῆτ' ἔπη
Ἕκαστ' ἑκάστων ἀνταμείβεις τῶν ἐπῶν;
Καὶ πῶς ἀνάγκης τοὔμπαλιν δεσμοῖς δεθεὶς
Σὺ μηδὲν ἐκφαίνεις ἔπος ἀνελεύθερον;

Personae fabulae:

Minerva, Nuncius,
Ulysses, Teucer,
Aiax, Menelaus,
Tecmessa, Agamemnon,
Chorus Salaminiorum sociorum.

Actus Primus.

Minerva.

Iam video, Ulysse, saepe te venatice
Captasse, ut artes hosticas praevorteres.
Teque adeo ad ipsam commodum classem ultimam
Aiacis, ubi post principia tendit, tuor
Ruspantem, et olim metientem sedulo
Notis adulta nuperis vestigia,
Ut intus, an foras sit, oculis aucupes.
Pene autem es assectatus, ut canis sagax.
Nanque intus ellum est haud diu, caput
Sudore manans atque carnufices manus.
Quare intus inspectare, nec tibi integrum est,
Omitte: tantum fare, quoius gratia
Tam satagis, omne ut, quicquid huius est, loquar.
Ul. O mihi Dearum cura maxume omnium
Minerva, quam vel eminus clare tuam
Vocem aure capio, et mente suspensa haurio,

Qualis tubae sentitur aeneae sonor.
Recteque sensti me mihi infensissumum
Aiacem odora circuire indagine.
Ita est. eum venamur, haud alium, Dea.
Nam facinus ista nocte caecum, nescium,
Ancepsque fecit ille, si fecit tamen.
Nil scimus etenim mentis errore avii.
Quare hoc subivi sponte perferens onus.
Nam pecua nuper parta bellica manu,
Iugulata, strata, sauciata foediter
Manu, magistris cum suis offendimus.
Factique eum omnis huius auctorem facit.
Huc adde, quod speculator hunc solum omnium,
Campos cruento dum ense persultat furens,
Viditque, retulitque: Ego actutum impete
Vestigo, odoro. haec signa non dubie noto:
Ast illa miror, cuia sint non assequor.
Sed affuisti tempori, si quidem tua
Me nunc, et olim rexit, et reget manus.
Mi. Persensi, Ulysse. iamque, dum venaturis,
Viam tibi istam sponte custos institi.
Ul. Bene hic, secusne coeptus est mihi labos?
Mi. Liquido putasti: fecit ille, me vide.
Ul. Nam cur et ausus ille tam caecum nefas?
Mi. Achillis arma, addicta non sibi dolet.
Ul. Cur sic furente fertur in greges gradu?
Mi. Vestro manus foedare sperans sanguine.
Ul. Incogitabat, inquis, Argivis malum?
Mi. Quin absque me fuisset, et patraverat.
Ul. Quibusne coeptis, quove mentis impetu?
Mi. Irrupit ad vos nocte solus, et dolo.
Ul. Pervenit igitur, atque metas attigit?
Mi. Institerat adeo utrique iam praetorio.
Ul. Quis rapida ovantem caede repressit manum?
Mi. Aliena captis sensa ocellis oggerens
Hominis retundo gaudium immedicabile.
Et ad gregum miscella lanigerûm agmina,

Promiscuique volgus armenti avoco.
Ibi buceras sternebat animantes, nihil
Parcens furori: modo cruenta credulus
Manu necare gemina Atridas corpora:
Modo hunc, modo illum scilicet mactans ducem.
Ast ego virum furore torrentem vago
Urgebam, in altos induens casses mali.
Postquam remisit vis furoris de nece,
Armenta viva compedarum vinculis
Captiva, sed cum gregibus abducit domum,
Homines putans abigere, non brutos greges:
Quos nunc flagellis accipit vinctos male.
Age huncce sodes indicem morbum tibi,
In volgus ut eum differas, ubi videris.
Ne defetisce, neve doputa in malo
Hominem videre. luminum aversos ego
Orbes reflectam, quo minus te viderit.
O qui revinctis manibus abductas agis
Hominum catervas, huc adesdum, te voco.
Aiax tibi, inquam, dico. iam prodi foras.
Ul. Quid agis, Minerva? ne foras hominum evoca:
Mi. Potin' es tacere? nec tibi metum obiice.
Ul. Ne, amabo: sed contineat intus se domi.
Mi. Frustra vereris. non vir idem est, qui prius.
Ul. Mihi hostis idem est ipse, qui prius fuit.
Mi. Illudere hosti ludus est suavissumus.
Ul. Mihi quidem isthunc intus includi sat est.
Mi. Hominem videre mentis impotem fugis?
Ul. Videre mentis compotem compos queam.
Mi. At non videbit te quidem, quamvis prope.
Ul. Cur non, si idem oculis lumen usurpat, potest?
Mi. Faxo, te ut oculis vel videns non viderit.
Ul. Mutare magnum fas nefasque Diis leve est.
Mi. Tace, et quiesce, teque in hoc statu tene.
Ul. Certum est tenere. sed foris mallem tamen.
Mi. Heus te, audin'? Aiax, rursus appello. huc ades.
Cur numen auxiliare tam parvi facis?

Aiax. Salve Minerva, maxumi proles Iovis,
Bene ades, et opportuna. te spoliis ego
Mactabo opimis, propter hanc praedam quidem.
Mi. Sapis. sed illud quod rogo, narra mihi.
Hastam imbuisti sanguine Argivo tuam?
Ai. Et gloriari fas mihi est, et non negem.
Mi. Advorsum Atridas nempe molitus manum es?
Ai. Non fiat illis ludus Aiax amplius.
Mi. Actum est, ut inquis: occiderunt ilicet.
Ai. Nunc auferant mihi arma mortui mea.
Mi. Quid vero Ulysses ille Laerta satus?
Quo res loco illi est? an tuam effugit manum?
Ai. Sacramne volpem quo sit in statu rogas?
Mi. Ipsum, inquam, Ulyssem male tibi infestum caput.
Ai. Gratissimum intus assidet spectaculum
Captivus, ipsum quod mori nondum velim.
Mi. Quidnam priusquam aggredere? quid facies lucri?
Ai. Priusquam ad altae columen evinctus domus,
Mi. Quodnam misello grande moliris malum?
Ai. Caesus flagellis efflet animam denique.
Mi. Ne miserum, amabo, ne hunc ita accipias male.
Ai. Sperare in aliis, Diva, te iubeo bene.
Supplicium ad istum is, nec secus, dabit modum.
Mi. Postquam hoc in animo est sat tibi acceptum,
Ne parce dextrae, cogitata perfice. [ilicet,
Ai. Accingor ad rem: caeterum mando tibi,
Ut tale praestes semper auxilium mihi.
Mi. Vides, Ulysse, vim Deorum, quanta sit?
Hoc homine rerum quis fuit consultior,
Vel melior antehac coepta mature exequi?
Ul. Nullus quidem antehac; mihique miseritudine
Commovit animum, quanquam iniquior mihi est,
Quod tali inhaerens ipse conflictet malo.
Nec illius rem, quam meam, specto magis.
Nil certus aliud esse nos, quam somnia
Imaginantum, aut corpora umbra inania.
Mi. Ergo cavebis haec videns, temerarium

Dictum, profanumve in Deos effutias,
Nec insolescas, si vel ulli praenites
Virtute belli, sive vastis copiis.
Namque una tollit, una deprimit dies
Mortalium res, et boni semper viri
Curae Deis sunt, contra at invisi mali.

Chorus.

Telamoniada, qui fundamina
Salaminis habes firma marinae:
Bene cum tibi fit, bene laetor.
Cum te inimico languere Iove
Differt Danaûm fama maligna,
Mens mihi refugit, totusque tremo,
Trepida ut terrore columba.
Ut praeterita nocte tumultus
Nos famigerant rumore malo,
Te pede rabido persultantem
Ubera prati praedatitias
Danaûm pecudes,
Quae super ipsis fuerant reliquae,
Ferro vastasse cruento.
Talia fictis probra susurris
Omnium in aures spargit Ulysses.
Creditur illi: nec sine multa
Suada excipitur: suasus et ipse
Suasore magis strepit auditor,
Tua risu facta lacessens.
Qui magna petit corpora telo
Nullus aberrat. Dixerit in me
Quis tale, fidem nullus habebit.
Nam felices petit invidia.
At sine magnis ipsi parvi
Intutum arcis sunt praesidium.
Nam cum divite bene plebs rem gerit,
Dives cum plebe fovetur.
Verum talia sensa docere
Non possis corda supina.

Ea circumstrepit hominum turba.
Nec nos contra conferre pedem
Possumus, absente modo te.
Ut conspectum fugere tuum,
Strepitant, qualis defuncta metu
Vulturis, avium turba volantum.
Quod si subitis citus existas,
Muti fugiant trepidanter.

Stropha XI.

Anne Diana tuum soboles Iovis
(Ah fera fama, fera,
Mater ah probri mei)
In volgus armentorum animum furiavit,
Aut orba fructu debito victoriae,
Aut spoliorum aliquo
Frustrata honore, aut hinulei exuviis?
Bellonane an Mars supplicium rabido
Poscens calen-
-te sanguine,noctivagis vindicis
Furoribus irae.

Antistropha XI.

Non te adeo usque sinister agit furor,
O Telamoniada,
In greges ut tu irruas.
Haec caelitum vis est mage. Iuppiter aver-
-runcate volgi, et Phoebe, rumores malos.
Sin sua composito
Commenta fingunt arte mala proceres,
Aut acre cauti Sisyphidae genus:
Ne, si sapis,
Ad haec, rogo, castra manens deside,
Probro tibi ne sit.

Epodus VII.

Linque sedilia: surge: ubi plus sat longo
Lente exercitus immoraris otio,
Dira incendia ventilans.
Impune proterva vis linguae

Ventique secura lascivi
Iniurioso miscet di-
-cta cachinno. At dolore ego configor.

Actus Secundus.

Tecmessa.

Socii Aiacis, classica pubes,
Nobile prisci germen Erechthei,
Quantis versat fluctibus animi
Telamoniaci nos cura laris.
En ferus Aiax, pectore crudo,
Perditus, aeger
Aestu conflictat iniquo.
Ch. Quod praeterita nocte quietem
Mutavit onus,
Filia Phrygii Teleutantis?
Dic: nam servam te ferus Aiax
Socia lecti parte recepit,
Ut te nescire nefas sit.
Tec. Ardua dictu dicta profabor.
Leti similem morbum audite.
Efferus iris, animique vagus
Infandum Aiax ausus in umbra est:
Talia iam licet intus cernere
Patrata manu sacra cruenta,
Pulchra viri gesta furentis.

Strophe XII.

Ch. Mira indicas, mira torvi
Facta refers hominis,
Iniqua, inexplicanda:
Quae proceres Danai
Male famigerant,
Quaeque procax rumor acerbat.
Hem quem exitum res habitura est?
Habet hoc. furore
Sibi iam afferat ille
Manus: quippe qui tot

Opimos gladio greges
Impetiit, gregumque duces.
Tec. Me miseram: amens inde inde foris
Captiva manu traxit pascua.
Partem in nuda iugulavit humo.
Partem mediam male dissecuit.
Duo lanigeri proceres pecoris,
Illum capite, et lingua truncat.
Hunc destituit rectum ad medii
Columen tecti.
Et fera quassans vulnera, lori
Saevus habena mulctat equini.
Atque oggannit non bona dicta,
Non humanitus ea doctus.

Antistrophe XII.

Ch. Iam tempus obnubere est ca-
-put, timide et propero
Fugam parare furto.
Curriculumque citi
Leue remigii in-
-scendere, nec parcere navi.
Tantas minas, totque volutant
Proceres Atridae
Duces. Saxipetas nam
Populi vereor
Manus, neu cum eo in malis
His iacente condoleam.
Tec. Minime vero. nanque silescit
Ut, non vehemens qui venit, Auster.
Quin nova compos vulnera sentit.
Nam sua sibi cum quis mala spectat,
Et socius in eis nemo accedit,
Ea magni est caussa doloris.
Ch. Hominem beatum si malo defungitur.
Absente morbo nam remittitur metus.
Tec. Harum placeret utra conditio magis:
Cum per te amicis est male, esse tibi bene,

Aut cum iis doloris paria munia exequi?
Ch. Quod duplicatur, maius est, mulier, malum.
Tec. Morbo caremus, et laboramus tamen.
Ch. Quid dicis? haec me dictio incertat magis.
Tec. Vir ille morbo cum teneretur gravi,
Gestibat ipse, qua premebatur, lue,
Angebat et nos mentis impos compotes[.]
Postquam resedit, ac recepit se a malo:
Et maior illum mentis exercet dolor.
Et non minus nos nunc dolemus quam prius.
Non ergo simpla haec, dupla bis tanto mala?
Ch. Verum est, fatemur[:] ac veremur, ne Deûm
Incessat ira hunc: nam levatur non magis,
Defunctus illa peste, quam aegrotans prius.
Tec. Ergo disertim commonendus es mihi.
Ch. Enim unde coepit gliscere haec moles mali,
Nos condolentes, et metus socios doce.
Tec. Ergo ut doloris socius, omnem rem tene.
Nam nocte prima nondum adhuc micantibus
Astrorum ocellis, ille vanos ancipe
Instructus hasta tentat exitus ruens.
Ego increpo hominem. nam quid, inquam, cogitas
Aiax? quod istuc itiner incertum paras
Nullo evocatus nuncio, aut tuba excitus,
Cum placidus omnes mulcet in castris sopor?
Brevi ille dicto insequitur, at vulgario:
Mulier, mulierum ornamen est silentium.
Perculsit animum: comprimo me: ille exiit.
Verum quid intervenit interibi, haud scio.
Post, curvifrontes intrat armentas agens,
Mutasque pecudes, atque custodes canes.
Hinc capite truncat, inde resupinat, necat,
Iugulatque quaedam. his compeditis verbera,
Tanquam viri sint, non greges, usque oggerit.
Tunc nescio quod exiens, spectrum appetens
Orationem duriter dictis dedit
In Ulyssem, Atridas, perperam et iaculariter,

Indigna eorum facta sese ultum probe.
Ad nota rursum tecta regreditur gradum:
Tandemque mentis in potestatem redit.
Ut novit omnem errore completam domum,
Frontem ferit, quiritat, in commiscuam
Iacentium se proiicit stragem gregum,
Manu prehensam identidem scindens comam:
Diuque muto constitit silentio.
Exindc gravia comminatus est mihi,
Ni edisseratur omne, quicquid est mali.
Ac esset in quo, sciscitabatur, statu.
His territata, quoque gesta sit modo,
Et quo sciebam rite rem pando ordine.
Tunc ipse questus rumpere eiulabiles,
Huic prius inausos, atque inauditos mihi:
Expetere tales nanque censebat sonos
Ignavitati mentis, atque imbelliae.
Et voce parcens, atque lamentis prius,
Gemitus premebat, taurus ut mugit ferox.
Nunc hoc iniquo constitutus in statu,
In strage pecorum, Cereris et Bacchi carens,
Ferroque caesis gregibus incubat sedens:
Ac nescio quod facinus occoeptat grave.
Tales querelis miscet eiulitans sonos.
At vos, amici, nanque ea me gratia
Huc contuli, ite, ferte opem, tutamini,
Faciles amicis sunt amici eimodi.
Ch. Indigna vero mihi, Teleutantis genus,
Proloqueris hominem expectorarier malis.
Ai. Hei, hei!
Tec. Quin nunc magis videtur. an sentiscitis
Quas fundit Aiax ore voces flebili?
Ai. Hei, hei!
Ch. Mirum, ni homo aut aegrotat, aut offenditur,
Morbi prioris poenitudine anxius.
Ai. Hei puer, hei puer!
Tec. Heu misera quid agam? te, puto, Eurysaces vocat.

Nam quid agis Aiax? heu ubi es, fili? occidi.
Ai. Teucrum voco. ubinam Teucer? assiduon' volet
Ductare praedas? ast ego intereo miser.
Ch. Homo est apud se, ut sentio. aperite ocyus:
Reverebitur fortassis aspecti mei.
Tec. Aperimus, ecce. Caeterum licet tibi
Hominis tueri gesta, et eiusdem statum.

Stropha VI.

Ai. Sodales maris remiges,
Amici unici omnium, et
Aequitate stantes pia:
Videte me esse, qualis est
Ubi recens ab aestibus
Fluctus adhuc movetur.
Ch. Vah quam evidenter vera testatus modo es,
Quod comprobatur satis inornato hoc statu.

Antistropha VI.

Ai. Amici, marinum genus,
Rei nauticae sciens,
Bene inhibens ratis palmulas:
Modo unici, modo unici
Super mi estis adiuvae, oc-
-cidite: ferte opem mi.
Ch. Bona verba: ne malum resarciens malo,
Maiora tristi damna iactura effice.

2. *Stropha IIII.*

Ai. Ego ille acer, ille fortis, ferox
Duelli, atque praelii interritus.
Pecudum in imbecille volgus ruo.
Pudet cachinni: contumeliae pudet.
Tec. Haec verba fari, domine, compendiface.
Ai. Excede. cessas? i dierecta foras.
He heu. he heu!
Ch. Desiste, amabo, per Deos. ad te redi.

3. *Stropha V.*

Ai. Heu me miserum! manu
Remisse me hos sacerrumos,

Bobus ut in trionibus,
Et in capellis, avidum
Retingerem cruorem.
Ch. Nam quid dolere haec facta profuerit tibi?
Infecta facta non erunt tuam vicem.

2. *Antistropha IIII.*

Hei omnium auctor, omnium
Malorum faber puer Laertae,
Leueque publicumque mendicimo-
-nium: ut triumphas: ut cachinnas: ut crepas.
Ch. Rident volente flentque mortales Deo.
Ai. Utinam viderem illum obrutus licet malis.
Hei me! hei me!
Ch. Comperce verbis. quo in statu sis non vides.

3. *Antistropha V.*

Ai. Meorum o atavûm pater,
Quanam arte, Iuppiter, vafrum
Undique circitorem ini-
-micum ultus, atque ambo duces
Malam oppetam ipse mortem?
Tec. Si haec imprecaris, imprecator et mihi
Mortem: quid opus est vita mihi, te mortuo?

4. *Stropha XVI.*

Ai. Meum o mihi iubar tenebrae, et Orce,
Lux nitida, lucida:
Habete me vestri incolam,
Habete. nec Deorum enim,
Neque mortale hominum
Mihi genus videre
Fas, inutili cunctis.
Sed ferox Iovis gnata, perpete
Dea cruce me mulctat.
Quae fugae via?
Quem locum eligam?
Postquam, amici, et hoc, et hoc
Interit simul,
Vanamque capturam egimus.

Statimque volgus armis
Omne confodient me.
Tec. Vah misera: tales maxumum voces virum
Efflare, quas nec ausus esset antehac?

4. *Antistropha XVI.*

Ai. Fluvii mariflui, et maritima antra,
Et littoreum hoc nemus,
Diu diu me plus satis
Tenetis ante Troiam.
Atenim haud lumine com-
-potem amplius licebit.
Credere hoc neget nemo.
O Scamander, qui proximus fluis
Benevolus Argivis:
Non tueberis
Amplius virum hunc
(Dicere non verebor) ex-
-erciti, omnium,
Quos Troia vidit, optumum
Graecanici: at sine ullo
Nunc honore iacentem.
Ch. Nec comprimendi, nec remittendi tui,
Ullum modum habeo: tanta te incumbunt mala.
Ai. Ai, ai, quis unquam tot meum cognomine
Meis putasset concinere nomen malis?
Ai, ai licet nunc proloqui bis, ter mihi.
Nam me malorum tanta circunstat cohors.
Cuius pater reversus ab Troiae hoc solo
Domum redivit mactus omni adorea.
Ego autem eodem natus, ad eundem locum
Profectus, iisdem viribus non indigens,
Qui nec minora patre patravi manu,
Heu pereo ad istum inhonorus Argivis modum.
Sed hoc scio haud obnoxie: si de suis
Vivens Achilles captus armis arbiter
Palmarium virtutis alicui addiceret,
Nemo abstulisset illa tunc meam vicem.

Sed haec doloso addixe potuerunt viro
Graeci meam illi postputantes gloriam.
Quod ni mihi omnem eversa mens sapientiam
Expectorassent, et oculus, nunquam amplius
Iudicia in alium iudicassent talia.
Iam pervico animo, Iove sata, implacabili,
Me, cum iam in illos verterem infestam manum,
Repressit obiecta impotente insania,
In gregibus istis ut cruentarem manum.
Verum cachinnis nunc mihi illudunt, ubi
Fugere me' nolente. cum Deus nocet,
Vel fortiorem evadere ignavo est facul.
Quid ergo faciam, quem disertim omnes Dei
Odere? quem odit omnis Achivûm exercitus?
Et omnis odit Troia, et omne isthuc solum?
An domitionem ergo his relictis portubus,
Solisque Atridis, trans et Aegeum parem?
Sed qua potis sim fronte Telamonem patrem
Contra obtueri? quomodo me inglorium,
Virtute cassum sustinebit cernere,
Quarum ipse rerum honoribus summis cluet?
Non sic abibit, non. quid ergo? an vir viro
Congressus ad Troum alta propugnacula
Clare oppetam aliquo facinore illustri edito?
Sed facerem Atridis rem bonam et gratissumam.
Non sic abibit. aliqua tentanda est via,
Qua iam senectis obsito membris patri
Profitear, haud hoc patre me ignavum satum.
Nam turpe longum postulat se vivere,
Cui nulla detur a malis interquies.
Nam quid habet in se volupe de die dies
Hinc summovens vitam, inde mortem promovens?
Nihili quidem hominem fecerim quem spes alit,
Vitamque vanis speribus lactat suam.
Sed nempe pulchre vivere aut pulchre mori
Expetere honestis et viris verum est. tenes.
Ch. Aliena dicta haec te loqui nemo autumet

Nec dixit, Aiax, sensa sed mentis tua.
Te respice ergo: da locum sententiae,
Tuis amicis, 'atque missa haec sis face.
Tec. Nullum est, here Aiax, omnibus mortalibus
Necessitatis legibus maius malum.
Ego quidem sum creta libero patre,
Eoque dite, si quis alius est Phrygum.
Nunc servitutis compotivit me Deus,
Et tua domitrix dextra. postquam ergo in tuum
Cubile conveni, ex eo studeo tibi.
Quod obsecro te perque communem larem,
Sociumque lectum, in quem optume convenimus,
Ne, dum me iniquis tradis in manum tuis,
Committe, ut iis infamiae in caussa fuam.
Si moreris, ac nos morte destituis tua,
Ilicet eodem raptam ab Argivis die,
Tractamque, meque parvolumque diriter,
Famularum ad unum degere aetatem autuma.
Oratione tum quis incilans malus
Dominus amara, aspicite coniugem, inquiet,
Aiacis, Argivûm omnium fortissumi,
Quae servitute quale mutavit decus?
Haec dicet aliquis. me quidem incesset Deus.
Inhonesta vero haec et tibi et tuis erunt.
Sed revereatur te patris, quem in exita
Aetate linquis: sed sit et quidem pudor
Parentis annis obsitae, quae saepius
Redire te optat vivum et incolumem domum.
Miserere gnati parvoli: siquidem cibo
Cassus novello te sine aetatem exiget
Ut orbus, at non carus. oh quantis malis,
Si moreris, illum, meque compotem facis!
Te praeter aliud praesidii nil reliquum
Video. tua nam patria deleta est manu,
Genitrixque: genitor occidit fato suo,
Et mortuales incolunt Orci domus.
Quam quaeso dulcem comparem patriam tibi?

Quam opulentitatem? nanque ego in te tota sum.
Sit et mihi respectus aliquis. nam bonos
Memores prioris esse benefacti addecet:
Et gratia alia gratiam semper parit.
Si quem beneficii ceperint oblivia,
Non est quod ille fortis aut bonus fuat.
Ch. Utinam, tui ut me miseret, Aiax, te quoque
Misereret: huius verba laudares, scio.
Ai. Atqui illa nobis affatim laudabitur,
Si strenue ausit nostra mandata exequi.
Tec. Parebo, mi Aiax: cuncta properabo exequi.
Ai. Arcesse puerum nunc mihi, ut videam, meum.
Tec. Atqui foras eduxeram, metuens ei.
Ai. Dum fluctuarem in his malis ego, aut ubi?
Tec. Ne scilicet periret occursu tuo.
Ai. Hoc defit unum nempe fortunae meae.
Tec. Ego vindicavi: quod quidem suffecerit.
Ai. Et laudo factum, et perspicaciam tuam.
Tec. Sed quid iuvare te queam hoc facto meo?
Ai. Ut alloqui possim, utque conspicarier.
Tec. Famularis illum asservat hic custodia.
Ai. Sed quae mora eius distulit praesentiam?
Tec. Heus puer, adesdum: te pater vocat: veni.
Huc, sis, age illum quisquis ex famulis regis.
Ai. Venitne iussus, anne iussa negligit?
Tec. Producit illum famulus huc ex proxumo.
Ai. Age, huc age illum: non enim externabitur
Stragis recentes hos acervos intuens,
Si quidem ille vero patre me satus fuat.
Sed eum paternis institutis asperis
Domitari oportet: atque mores exequi.
O gnate, fortuna esto dissimilis patri,
Ast alia similis omnia: ita malus haud fuas.
Quanquam unicum istud hoc bonum invideo tibi,
Quod ista nondum percipis sensu mala.
Nil sapere quippe vita iucundissuma est:
Nil sapere prorsus, est malum carens malo,

Moerore donec gaudium internoveris.
Quod assecutum, qualis ex quali patre
Satus es, te oportet specimen inimicis dare.
At interim auris vescitor levibus, alens
Mentem novellam, volupe matris gaudium.
Nemo te Achivûm differens probris malis,
Torve increpabit, vel licet careas mei.
Talem relinquam ianitorem acerrumum,
Alimoniaeque praesidem Teucrum tibi:
Si quidem is redibit hostium insessor procul.
Ast, o sodales armites, marina gens,
Mandata primum nunc suprema et vos mea
Accipite, et illi nuntiantes reddite:
Istum puellum ducat ad lares meos,
Eriboea ut illum videat, et Telamo pater,
Et eis senectae dulce lenimen fuat,
Vel donec Orci tecta sint nacti inferi.
Ulli nec arma praemiatores mea
Ponunto Achivis, nec meum magnum malum.
At ipse vero Eurysace, tu cognominem,
Et crebriloris pensilem amentis quatens
Apprende clypeum hunc praegravem, et septemplicem.
Sed arma mecum concremantor caetera.
Heus tu properiter manibus hunc puerum cape,
Et ianuam obde, nullaque hic palam iace
Lamenta. valde est fletuum mulier lubens.
Operi forem, inquam. haud bene medens se postulat
Carmen secando vulneri incantassere.
Ch. Properantiam istam inaudiens metui male.
Nec me asperata lingua delectat tua.
Tec. Quod istud, Aiax, mente moliris malum?
Ai. Ne me rogassis. pulchra res modestia est.
Tec. Quam pendeo animi! Sed per ego te liberos,
Et per Deos obtestor, haud nos produis.
Ai. Vah enicas me, mulier: an nescis, Deis
Debere nullum iam me honorem obnoxium?
Tec. Bene ominare. Ai. Affare quos persuadeas.

Tec. Non credis autem? Ai. Iam nimis loqueris diu.
Tec. Nam timor adegit. Ai. Intus hanc includite.
Tec. Reprime te, amabo. Ai. Stulta vero es foemina,
Si nunc movere cogitas animum meum.

Stropha VIII.

Ch. Illustris Salamis, beata
Tu nunc habitaris, et felix
Cunctis, celebrisque cunctis.
Ego autem, ego, imma-
-ne tempus abiit, miser
Ex quo hic Idaeis
In pascuis, inque ubere
Nutrice gregum perenno herba,
Morarum impatiens,
Malam spem refovens.
Si quidem erit, ut agam hic
Procul animam
Inhonorus, exspes.

Antistropha XIII.

Quin et perditus, aeger Aiax
Mi cura secunda inhaeret, proh
Divino agitatus aestu,
Profectus ex te
Antehac, prius inclytis
Praepollens armis:
Nunc avius mentis suae
Suis dolor extitit magnus.
Priora omnidomi
Viri gesta manu
Memoriter animo
Profuga malis
Cecidere Atridis.

2. *Stropha XIIII.*

Sed cum vetustatis
Obsita tempore,
Canis et annis
Audibit anus parens hunc

Rabere mente captum,
Lusciniae ilicet
Lamentabile
Carmen volitantis
Non illa occinet:
Ast luctificum integrabit
Lessum. pectora palmis
Atris tonsa sonabunt:
Incanamque manus
Comam lacerabunt.

2. *Antistropha XIIII.*

Praestaret extinctum
Hunc, quam efferarier,
Ubi paterno an-
-tistans celebres Achivos
Genere, et inclyto ortu,
Cognita non tenet
Se intra septa ani-
-mi, ast exulat extra.
Infelix pater,
Heu qualia et audies tu
Infortunia nati:
Quae antehac Aeacidarum
Aetas non tulerat
Quidem ulla, nisi ista.

Actus Tertius.

Ai. Omnia reflexis seculorum anfractibus
Occulta tempus aperit, et aperta occulit.
Nihil est supra spem. tempore etiam contumax
Deprenditur mens, iusque iurandum Iovis.
Ego pervicaci mente, inexorabili,
Qualis rigescit dura ferri acies aqua,
Demulctus huius ore sum. inimicis eam
Linquere misertum est viduam, et orbum filium.
Sed ad lavacra et prata litoralia
Eo, ut expiatus februis lustralibus

Iram ferocem deprecer gravis Deae.
Mox aliquem adibo inhospitum et tescum locum,
Telumqne ibi inimicissimum hoc, ensem meum,
Ut videat illud nemo, defossum obruam,
Sed creditum Orcus, noxque servassint sibi.
Nam denique ex quo muneratum tempore
Ego illud hostica Hectoris cepi manu:
Exinde adeptus nil sum ab Argivis boni.
Scitum est in ore hoc omnium dictum vetus:
Infausta munera hostium, nec munera.
Discamus ergo in caeterum Deis locum
Cedere, et honorem debitum Atridis dare.
Nam principes sunt, obsequendum est: quippini?
Et gravia quae sunt, quaeque sunt immania[,]
Cedunt honori. cedit et vis ninguidae
Hiemis, ubi aestas macta frugibus venit.
Cedunt et ipsae noctis obscurae vices
Luci albicanti lumen almum accendere.
Et maria tumidis intonata flatibus
Posuere fluctus. victor omnium sopor
Devincta laxat membra, nec semper tenet.
Et ego modesta facta dubitem persequi?
Quare, ut reapse nuper expertus fui,
Hac fine semper, censeo, inimicum oderis,
Tanquam idem amicus sit futurus. indidem
In tantum amico munifex morem geram,
Tanquam nec idem sit futurus. plurimi
Appellere ipsum portum amicitiae timent.
Sed belle habebunt ista. tu vero interim
Intus precare perpetim, mulier, Deos,
Succedere illa, quae sedent animo, omnia.
Et vos, sodales, paria comprecamini.
Mandata verbis haec meis Teucro date:
Uti nos amassit, ut velit vobis bene.
Proficiscor illuc, quo profecto opus mihi est.
Vos iussa perpetrate. forsit de mea
Salute inaudietis, etsi perieram.

Stropha XIIII.

Ch. Amore tremisco: vitulo gaudio vagus.
Io, Io, o Fau-
-ne, o pervage Faune:
Cylleniae speculae iuga
Age, o, ninguida linque scrupea. adsis
Deûm salisubsule: atque gestus
Gnossiacos age
Mecum, indocilesque pede
Quate hic choreas.
Nunc mihi saltitare curae est.
Icarium salum superans, trans-
-marine Dive Apollo,
Apertus et apparens
Adesto placabilis, atque felix.

Antistropha XIIII.

Remotus enim acer ab oculis mali labor.
Io, Io, nunc o nunc
Accedere Iuppi-
-ter, fausta, candida lux sivit
Citas fluctivagas rates, quia Aiax
Furore levatus, et Deorum
Iusta operatus est,
Et nunc pietate colens
Pia benigna.
Omnia tempus acre delet.
Nec fieri omne posse, negandum est.
Ubi ipse restitutus
Aiax modo Atridis in-
-opinus est ex graviore lite.
Nuncius. Hos primum, amici, vos ego edoctos volo:
Recens ab altis Mysiae Teucer iugis
Adest. is autem media castra permeans
Petitur acerbis omnium Argivûm probris.
Ventantem enim illum sciscitabundi procul
Circumsteterunt: hinc et hinc conviciis
Lacerant, lacessunt. non fuit qui non eum

Vecordis, insessoris etiam exerciti
Fratrem vocaret: nil vetare quo minus
Saxorum acervis obrutus mortem oppetat.
Eoque res rediret ut gladios suis
Vagina eburna liberarent dexteris.
Sed verbo amico reprimit gliscens malum
Senum senex aetate provectissumus.
Nunc vero ubi Aiax est, ut illi haec indicem?
Dominis negotium omne pandere expedit.
Ch. Non est is intus, verum abivit iam modo,
Consilia nectens moribus novis nova.
Nunc. Heu, heu.
Qui misit istam me viam, aut me eam viam
Tarde illi misit, aut ego tardus fui.
Ch. Quid est quod hac in re exequendum omiseris?
Nunc. Teucer vetabat, ne domo Aiax antea
Prius, quam adesset ipse, prodiret foras.
Ch. Sequutus est meliora. nempe maxumis
Pacem Deorum precibus exposcens abest.
Nunc. Haec verba plane plena sunt dementiae,
Et stulta, si quid augurans Calchas sapit.
Ch. Quibus ista tandem fretus indiciis ais?
Nunc. Ego superstes affui, atque interfui.
Namque e corona, et regiis comitiis
Calchas resurgit: seorsum Atridas deserit:
Teucrum prehendit: copulatur dexteras:
Infit: recenset: mandat omnibus modis,
Aiacem ut hodie sedulo coercitum
Intus teneret, nec foras emitteret:
Si vellet illum sospitem, ac superstitem.
Nanque hanc, neque ultra (sic enim autumat) diem
Illum Minervae dirus exercet furor.
Nam molem inanem corporum atque inutilem
Missa ruina caelitus procumbere
Perhibebat augur, si quis humanum nihil
Quanvis creatus corpore humano, sapit.
Sed ille et olim primitus domo exiens

Demens, monente patre bene, deprensus est.
Nam sic monebat: Gnate, bellica clue
Virtute victor: vince cum Deo tamen.
Contra ille torve affatur ac superbiter:
O genitor, etiam si quis est nulli rei,
Virtute divûm vincet: ast ego hanc facul,
Etiam sine illis indipiscar gloriam.
Adeo superbe est eloquutus. Denique
Divae Minervae, dum illum in offertissumos
Hortatur hostes vertere infestam manum,
Dictum obloquutus perperum est et impotens:
O diva, Graecos caeteros praesens ope
Tutare: nam in nos nulla vis pugnae ingruet.
His ille verbis sibi Deae implacabiles
Ascivit iras, homine spirans altius.
Sed si diem istum vescitur vita: ilicet,
Eius salutem cum Deo confecimus. '
Haec augur. at me ex sessimonio statim
Tibi ista misit perferentem sedulo
Mandata Teucer. Si nec adsum tempori,
Non superat ille, si quid hic Calchas sapit.
Ch. Tecmessa, misera mulier, infelix genus,
Accede, et audi, qualia hic verba obstrepit:
Quae gaudium omne expectorant animo mihi.
Tec. Quid me misellam vix quiescentem a malis
Meo recenter excitatis de statu?
Ch. Tibi ergo dicat ista: nam me de tuo
Aiace quae narravit, exanimant metu.
Tec. Hau, mi homo; quid ais? an penitus ego occidi?
Nunc. De te nihil promitto: de Aiace attamen,
Si eliminavit ille, non sperem bene.
Tec. Eliminavit is quidem, ut metuam: quid est?
Nunc. Includi aperte iussit illum intra domus
Consepta Teucer, nec foras amittere.
Tec. Ubi ipse Teucer? cur is haec adeo iubet?
Nunc. Iam mox redibit ille. caeterum exitum
Hominis ad aliquod tendere exitium autumat.

Tec. Perii. quis illi haec indicat mortalium?
Nunc. Thestore creatus vate vates, hoc die,
Quo certa vel ei vita, vel mors expetit.
Tec. Heu casum, amici, praevenite praecipem.
Pars ite, Teucrum convocate huc ocyus.
Pars Occidentis, pars et Orientis plagam
Lustrate, quo se cunque proripuit male.
Iam sentio olim me a viro delinier.
Ingrata iam sunt, quae benigne fecimus.
Heu, gnate, quid agam? non enim morae locus.
Certum est et ire qua pote, et quantum pote.
Eamus, accingamur: haud cessato opus,
Servare volumus si virum certum mori.
Ch. Paratus ire nec quidem tantum ore sum,
Sed operis aderit, et pedum properantia.

Actus Quartus.

Ai. Stat culter illa parte, quae sit maxume
Acuta, si cui experirier vacat.
Munus quidem ille olim Hectoris virûm omnium
Et omnium mihi hospitum invisissumi.
In Troade autem pactus est terra hostica:
Cui bene cruenta cote acumen redditum est:
Fixi bene illum, et apparavi sedulo.
Vel ut properiter non mihi invideat mori,
Provisa nobis ista sunt in caeteris:
Tu primus, et fas, adiuva me, Iuppiter.
Fac impetrassim munus hoc a te breve.
Existat aliquis nuncius: quicquid mali est
Teucro eloquatur: moneat, ut me isthinc humo
Super cruento hoc ense prociduum efferat.
Ne deprehensus hic ab inimicis prius
Proiiciar, et praeda avibus et canibus fuam.
Haec sancte, venerans te rogo: atque idem obsecro,
Deponat ut quiete me placidissuma,
Postquam ense primum hoc transadegerim latus,
Primo pedatu dextra Mercurii inferi.

Deinde semper-virgines prece invoco,
Quae semper intuentur humanas vices,
Sanctas Dearum praepetes Furias: sciant,
Uti me Atridae principes adigunt mori.
Eosque in exitium ultimum malos male
Rapiant. et, ut me mox tuebuntur mea
Caesum manu iacere, sic nepotibus
Poenas nefanda caede postumis luant.
Agite, ite celeres, ite Furiae vindices.
Tentate volgus omne, ne compercite.
Sol, qui suprema templa curriculo citus
Lustras, paternae institeris ut terrae meae
Strigans, parumper inhibe habenas aureas
Utrisque miseris funus ac casus meos
Aetate cana nuncia parentibus.
Ubi fama miserae matris aures accidet,
Totam per urbem ululabit, eiulabitur.
Nec fructus operae est ista frustra conqueri.
Age, ordiendum est facinus actutum mihi.
O mors age, o mors age, veni, ac me visita.
Quanquam alloquendi tempus olim erit satis.
Te lucis almae candidissumum iubar:
Te, sol, et almae lucis aurigam alloquor
Posterrumum, inquam, ut postea nunquam amplius.
O lumen, o domesticae sacrum solum
Salaminis, o mei penates patrii:
Vos clarae Athenae, vosque gentiles mei,
Fontesque, fluvii vos valete: Troici
Campi valete, et vos mei nutricii.
Haec verba vobis edit Aiax ultima,
Reliqua apud Orcum fabor infernatibus.

ΗΜΙΧΟΡΟΣ, *Semichorus.*

Se. Labor duplex gravis labor.
Quem non adivi ego locum?
Nec, qui docere possit, ullus est locus.
Tace, tace. fallor? an sonum audio?
Se. Vero. sodales classicos nos scilicet.

Se. Quid ergo?
Se. Latus occidentis omne vestigavimus.
Se. Habesne?
Se. Multum laboris: nihil mihi ultra se obtulit.
Se. Nec, uspiam ipsam solis Orientis plagam
Existit ullus rite qui monstret mihi.

1. *Stropha XIII.*

Ch. Quis ergo, quis mihi,
Quis hominum vigilibus
Mari speculis sedens,
Caelivagisve viis
Solens quae Dea,
Fluminibusve freten-
-sibus ferum virum inde
Sicubi vidit pa-
-lantem, ubi est, nuntiet.
Grave fuerit enim, si
Post tot labores vagos
Cursu non potui assequi.
Ast me hominem imbecillem, ubi est non cernere.
Tec. Heu me, heu me!
Ch. Heu quoia vox haec proxume e nemore exiit?
Tec. Heu me miseram!
Ch. Sponsam misellam bellica captam manu
Video Tecmessam paribus affinem malis.
Tec. Perii, occidi; actum est: vita, amici, exacta sum.
Ch. Quid est novi? Tec. Aiax caede confectus nova,
Iacet cruentus ense furtivo incubans.

2. *Stropha V.*

Ch. De reditu actum est mi.
Interficis istum
Tuum sodalem, inquam,
Aiax, o miser,
O miser femina.
Tec. Ut ipsa res est nata, nunc gemere addecet.
Ch. Sed quoia ad hanc rem est usus infelix manu?
Tec. Sua ipse dextra, ut res docet, quod et quidem

Haerens humoque fixus ensis arguit.

3. *Stropha VIII.*

Ch. Heu miserum casum.
Tene cruentasti
Amicorum carens?
Egone eo usque stipes: ego
Ita negligens fui huius?
Hic, hic
Pervicus, atque sui
Iacet ominis Aiax.

Tec. Nefas videre. verum ego huius pallii
Totum obvolutum corpus amiectu obtegam.
Namque illum, amicus si quis est, contra obtui
Non queat anhelis follicantem naribus,
Et ex cruento vulnere atrum sanguinem.
Heu misera, quid agam? quis te amicorum efferet?
Ubi Teucer? adesset, siquidem adesset, tempori,
Sui cadaver fratris ut componeret.
Qualis vir Aiax, qualiter miser iaces,
Miserandum et ipsis hostibus spectaculum!

1. *Antistropha XIII.*

Ch. Labore ergo improbo
Volueras, miseriis-
-que fungier, et quidem
Functus es. usque adeo
Mihi talia
Perdius acri animo
Gemendo signa iam dabas
Hostifica, et pernox
Erga Atridas duces.
Ea fuit, ea labis
Princeps dies: quae dedit
Iudicium acre vir-
-tutis et ergo Achillis arma tradidit.

Tec. Eheu!

Ch. Generosa cura penita transit viscera.

Tec. Eheu!

Ch. Nil mirum et iterum, mulier, eiularier,
Orbata tali quae modo careas viro.
Tec. Opinio ad te, sensus ad me pertinet.
Ch. Fatemur.
Tec. O gnate: quod nos servitutis nunc manet
Iugum? quibusve premimur insessoribus?

2. *Antistropha V*

Ch. Ah geminûm sensi
Te facta profari
Nefanda imperato-
-rum huic magno malo.
Sed repellat Deus.
Tec. Non accidissent haec Deis nolentibus.
Ch. Sed mole nimium nos gravi premunt mali.
Tec. Tales ruinas creta supremo Iove
Minerva Ulyssis saeva molitur vicem.

3. *Antistropha VIII.*

Ch. Quam tacite secum
Mente dolosa vir
Renidens, obstrepens
Cachinnat, et super domini
Rabie, et furore ridet.
Heu, heu!
Tum autem et ubi audierint haec
Duces duo Atridae.
Tec. Atqui cachinnent, homini insultent malis.
Fortassis et, si vivo honorem non dabant,
Flebunt peremptum Martio in discrimine.
Nanque homo sinistra mente possessum bonum
Nunquam prius percipere, quam amisit, solet.
Mors eius illis dulcior, gravior mihi,
Ipsi suavis: namque habet quorum arserat
Amore, mortem, cuius expetens fuit.
Ch. Quid vero in illum riserint tantum? neque
Occubuit illis ille: non: verum Deis.
Ad haec Ulysses perperam ergo rideat.
Iudicio eorum periit Aiax: at meo

Defunctus abiit lacrumis et luctibus.
Teucer. Heu, heu.
Ch. Audita Teucri vox, mihi ut videor: tace.
Porro quiritat carmen affine huic malo.
Teu. O frater Aiax, o mihi carum caput.
Itane alea omnis iacta, ut omnes autumant?
Ch. Actum est: vir ille, quod scias, Teucre, occidit.
Teu. O asperam, gravemque fortunam meam!
Ch. Ut nata res est. Teu. Heu ego miser! miser!
Ch. Plane gemendum est. Teu. O gravissimum malum!
Ch. Hoc, Teucre, verum est. Teu. Heu miser! quid?
Illius in quo Troadis situs loco est? [filius
Ch. Ellum intus. Teu. Illum quam potest celerrime
Huc intus educ, ne quis ut catulum unicum
Orbae leaenae malevolus rapere occupet.
Abi: move te: curre. nam iacentibus
Omnes student se mortuis illudere.
Ch. Sed adhuc et idem vivus illi sedulo
Curare tibi mandavit, ut curas quidem.
Teu. O omnium unquam, quae quidem oculis viderim,
Spectaculum horridissumum et gravissumum.
O praeter omnes, quas profectus sum autehac,
Laedens meum cor maxume haec profectio,
Postquam tuae, Aiax, mortis atrum nuncium
Sensi, insequens cuncta, atque vestigans cate.
Nam citus Achivûm castra pervolgaverat
Te iam perisse rumor, ut Dei, frequens.
Quae cum miser longinquus audirem procul,
Absens gemebam: nunc videns pereo male.
Me miserum!
Velum aufer, omne ut, quicquid est, videam malum.
O dira species perpetrata atrociter,
Quot corde curas obserens moreris mihi?
Quae nunc adibo regna? quos homines petam?
Cui non tua in re crepera, amice, iuverim?
Telamon meus, tuusque communis pater
Laetus me, et hilari fronte reducem scilicet

Sine te recipiet? quippini qui vel neque
In re secunda gaudio diffunditur?
Cuinam ille dicto parcet, aut convicio?
Me spurium, et ipsa bellica praeda satum
Ignaviane mentis, an metu, an dolo
Te prodidisse, frater Aiax, ut tuas
Domos, et omnem possiderem habentiam.
Talia severus perperam profabitur
Asper senecta, iurgiis atrox homo.
Solo paterno eliminabor denique
Sermone patris servus, et liber tamen.
Et haec quidem domi. ast me in arvis Troicis
Odere multi, sed favent paucissimi.
Isthuncque fructum morte percipio tua.
Perii. quid ergo? quomodo te, inquam, exuam
Dirissumo isthoc ense? sub quali heu tibi
Carnufice vita periit? Hector denique,
Nec ne sciebas, te peremit mortuus.
Videte casus per Deos duûm virûm.
Illo, quod Aiax munerarat, balteo
Traiectos Hector e curulibus rotis,
Raptatus usque est donicum exspirasceret.
Contra iste capiens munus illius manu,
Incubuit illi, morte pessuma cadens.
Mirum, ni utrumque munus, ensem hunc scilicet
Furia, et id Orcus fabricarit balteum.
Ego censeo ista. et talia pleraque omnia
Deos supremos in homines molirier.
Diversa sed qui sentit, aut alia omnia,
Sententia sua stet ille, ego mea.
Ch. Orationem comprime, atque ut hunc virum
Mandes sepulchro, quidve dicas, provide.
Adest parum vir aequus; et forte advenit,
Utpote malignus, nostra ut insultet mala.
Teu. Quis est, ab ipso quem vides exercitu?
Ch. Menelaus: is, cui classis ista militat.
Teu. Video: propinquus cum sit, agnosci potest.

Menelaus. Heus te volo: istud manibus efferas cave
Tuis cadaver: verum ut est, missum face.
Teu. Quoia ista verba funditasti gratia?
Men. Visum mihi, et cui paret ipse exercitus.
Teu. Quod nomen isti rei praetexitur?
Men. Quod quem putavi eduxe patria domo
Amicum Achivis, auxilii fidissumi,
Deprensus ille Phrygibus est inimicior.
Totis stativis namque moliens necem
Impressionem nocte, ut occidat, facit.
Quod ni Deûm aliquis impetum intercepset hunc,
Omnes ad unum nos quidem illius vicem
Internecivo funere expositi illico
Essemus, ast is viveret. verum Deus
Hominis furorem avertit in pecua, et greges.
Nemo ergo tantis viribus pollens homo
Existat, illum condere ut tumulo audeat.
Proiectus atenim flavae arenae littore
Circummarinis pabulum alitibus fuat.
Ne ad haec superbos tolle nimium spiritus.
Nam si manus nil potuit in vivum mea,
In mortuum ergo poterit. etiam ingratiis
Vim faciam, ubi is se comparare noluit,
Praecepta vivus ut capesseret mea.
Quamquam illud animi est improbi, cum plebs homo
Parere nil se postulat melioribus.
Nam sancta iura perperam ac leges vigent
In urbe, cui non constat obsequii modus.
Exercitique nulla sunt moderamina,
Cui nulla vis est nec pudoris, nec metus.
Sed si quis usquam est mole crementa artuum,
Is ruere sese speret et minimo malo.
Nam qui timoris et pudoris compos est,
Hunc posse spera sospitem consistere.
Sed ubi licentia omnis est iniuriae:
Tunc et statum urbis postmodo tandem illius
Cursu e secundo pessum iturum existima.

Tamen timoris et mihi constet modus.
Nec est, quod ubi quid egerim, ut mihi sit bene[,]
Non et rependam tantidem, ut mihi sit male.
Vicissitates haec habent. iste antea
Fastu tumebat: nunc ego fastus gero.
Ita funerare hunc opere maxumo veto,
Ne et ipse, dum istum funeras, funus fuas.
Ch. Menelae, ne post dicta sapienter tua
Videaris ipse iniuriosus mortuis.
Teu. Nil mirum, amici, si quid errare assolent
Homines nec ullis incluti natalibus:
Quandoquidem et errant talibus verbis viri
Propage celebres, atque nobiles domi.
Primum hoc mihi inque. dicis isthuc te virum
Adduxe, Achivis socius armorum ut foret?
Non ipse per se venit, imperio suo?
Tune imperator eius es, qui gentibus,
Quibus fuit dux ille, nullus imperas.
Non noster es dux ipse, sed Spartae imperas.
Nec est quod id sit attributum ius tibi,
Ut imperares potius ei, quam ut is tibi
Obnoxius, non imperator omnium
Venisti, ut Aiacem obsequi tibi postules.
Quorum ipse rex es, hos rege: imperia in eos
Magnidicus inhibe gravia. ego hunc, seu tu vetas,
Seu praetor alius, rite tandem et ordine
Condam sepulchro nil tuas veritus minas.
Non faeminae tuae ergo is huc profectus est,
Ut gravibus auctorata gens periculis,
Sed ob sacratum ius, Iovisque sagmina,
Non ob te: ut et qui nihili inanes penderet.
Stipare ad ista plurimis praeconibus,
Nec non duce ipso: tu strepens nil me moves.
Per me quidem tibi esse eum, qui sis, licet.
Men. Periculosum est talia in malis loqui.
Teu. Acerba, quamvis aequa, verba vellicant.
Men. Et gloriari plurimum arcitenens solet.

Teu. Illiberalem non enim artem exerceo.
Meu. Si scutum haberes, gloriares scilicet.
Teu. Congrediar, etiam veles, armato tibi.
Men. Quam pascit acres lingua spiritus tua.
Teu. Fiduciâ aequi tollere animos fas mihi.
Men. Fas nempe et illum me perempto vivere?
Teu. Hui! perempto? vivis ergo mortuus.
Men. Me sospitarunt numina: huic vero occidi.
Teu. Diis sospitatus ergo ne temnas Deos.
Men. Egon' supremas temnerem leges Deûm?
Teu. Ita, si vetares mortuos tumularier.
Men. Meos veto hostes ipse: non enim addecet.
Teu. Unquam tibi Aiax pectore advorso obstitit?
Men. Fuit hostis hosti, quod tibi et gnarum fuit.
Teu. Nam quem doloso clepseris suffragio.
Men. Haec arbitrorum lata culpa, non mea.
Teu. Perplura fraude frausus es volens mala.
Men. Alicuius animum pungit haec oratio.
Teu. Non tam, ut videtur, quam te ego pungam mea.
Men. Unum eloquar. tumulandus hic nullo modo est.
Teu. Audi vicissim et tu istud: hunc tumulabimus.
Men. Vidi tolutiloquente lingua praeditum,
Qui navigare suasset insano mari;
Stupere eundem, quando tempestas eum
Turbaret, ac sese involutum palliis
Cuivis terendum calce vectori dare.
Sed te, impetumque incicurem linguae tuae,
E nube parva magna tempestas ruens
Restinguet, et clamore compescet gravi.
Teu. Ego autem inanem et perperum vidi virum,
Aliena propter insolescentem mala.
Quem cum videret moribus quidam mihi
Formaque similis, talibus praesens monet:
Amice, ne sis mortuis iniurius.
Aliter manet te, me vide, infortunium.
Istis monebat nullius rei virum.
Quin tueor illum. non is alius, ut reor,

Fuerit, nisi tu. nonne conieci bene?
Men. Abscedo. nam quae turpitudo, velle eum
Sermone castigare, qui cogi potest?
Teu. Abscede. nam quam turpe et inhonestum est mihi,
Attendere homini effutienti inania?
Ch. Atrox litis certamen erit.
Quantum potis es, propera Teucer,
Fossamque cavam citus huic cura.
Ubi perpetua celebrem cunctis
Tumulum cum laude tenebit.
Teu. At ecce praesto tempori adsunt proxume
Et gnatus huius atque particeps tori,
Ut exequantur rite funus mortui.
O puer, adesdum. age accidas supplex patri,
Qui te in supernas lucis oras edidit:
Illi asside suppliciter, et manibus tene
Meas, et huius, et tuas itidem comas,
Supplicia velamenta. quod si exerciti
Quidem aggreditur mortuo te avellere,
Tollatur insepultus e medio male:
Et eruatur genere toto stirpitus,
Qualiter ego istum praesico crinem manu.
Puer, tene illum: serva, habe. nec te statu
Demoveat aliquis: ast inhaere huic accidens.
Nec, o sodales, pro viris muliebriter
Vos gerite: sed iuvate, donec venero
Tumulum huic procurans, nullus id sinat licet.

Stropha VII.

Ch. Reciprocifuga temporibus aetas
Numerosique volumen aevi,
Quando desinet miseri
Tot aerumnas belli
Nobis duplicans
Residem ad Troiam, Troiam inquam,
Probrum maculamque Graecorum?

Antistropha VII.

Utinam is, utinam in aetheris oras

Prius, ipsum aut penetrasset Orcum,
Quisquis unquam funerea
In Argivos primus
Belli arma tulit.
Criminum heu caput omnium.
Is nanque homines trucidavit.

2. *Stropha XI.*

Is corollarum epulas,
Dulceque delenifici
Omne meri proluvium idem,
Idemque sonos flexanimos
Abstulit: is noctivaga
Furta voluptatum amoris,
Amoresque abolevit. heu, heu!
Nunc hic iaceo otiosus,
Aquae pluvio caput
Rore madens, iniqua Tro-
-iae monumenta.

2. *Antistropha XI.*

Ante mihi noctipetas
Insidias propulerat,
Atque sagittas ferus Aiax.
Nunc ipse iacet luctifica
Sorte. quis ergo mihi amor,
Quaeve voluptas placebit?
Uti essem, o utinam essem, ubi unda
Rupes lavitur marina
Sub aequore Sunii:
Alloquerer sacras uti
Tutus Athenas.

Actus Quintus.

Teu. Pedem citavi, cum viderem Agamemnonem 1223
Ducem huc nec aequis incitatum passibus.
Sinistra quaedam velle prae se fert loqui. 1225
Agamemnon. Tune ille, quem superba dicta et
Impune dixe fertur in nostrum caput? [aspera

Tibi dico, captae matris ancillae genus.
Ingenua quod si sustulisset te parens,
Quantum tumeres, teque celsum attolleres,
Cum litiges nulla in re, homo nulli rei?
Venisse nec nos classirectores, neque
Duces Achivûm, iureiurando autumas.
Sed iuris Aiax, ut probas, venit sui:
An ista ius est dicta servos proloqui?
Quis ille, cui tu, tanta vociferans, studes?
Quo contulit pedem, ubi stetit, ubi et non ego?
An praeter illum, nullum habent Graeci virum?
Ergo, ut videmur, iniqua promulgavimus
Armorum Achillis publice certamina,
Si Teucer et nos ore convincit malos:
Nec sat probantur illa ne victis quidem,
Hac stare, qua tot censuere iudices:
Verum probris nos undique incilabitis.
Furtim aut petetis, impotes victoriae.
Istis ab animis moribusque eimodi
Nunquam asseretur legibus suus status,
Si exigemus iure vincentes loco,
Et postputandos ante collocabimus.
Sed comprimenda. haec non lacertosi viri,
Vastoque virium impetu, ii tutissumi:
Sed ubique vincunt, mente qui sana cluent.
Flagro admonentur pollulo glebarii
Validi triones rectum itiner insistere,
Cui generis in te remedium video cito
Expetere, ni te sapere postules bene.
Qui natus illo, qui umbra inanis, non vir est,
Gestis petulce, loqueris et proterviter.
Non sapere disces? non tuorum conscius
Natalium, hominem liberum adduces mihi,
Orationem qui dabit tuam vicem?
Nam te loquente dicta me incertant tua,
Ut qui loquelam barbaram haud intellegam.
Ch. Utrique vestrum Dii bonam mentem duint.

Nil melius, e re quod sit amborum, precer.
Teu. Heu quam citatim mortuorum gratia
Ingrata cedit, atque partes deserit.
Siquidem hic nec etiam ob parva dictu munia
Meminit tui, Aiax: quoius olim gratia
Tuo periclo tot pericla exhauseras.
Sed omnis iste fluxit ingratus labos.
O proloquute perpera, atque inania:
Oblitus adeo es, quando nos in praelio
Periculosis impeditos cassibus,
Nulla salutis spe, atque vorsos in fugam
Eripuit iste vos suo adventu: foris
Cum fureret ardens ignis in navalibus,
Flammis adultus, inque classem nauticam
Irrueret Hector varicans vallum impete.
Quis haec repressit? non is est, qui fecit haec,
Quem contulisse nuspiam pedem autumas?
Veron' is ille fecit haec, et sedulo?
Cum nec vocatus, sorte sed ductus manum
Conseruit, acri comparatus Hectori.
Nec enim fugacem iecerat sorticulam
Gleba madentis uber, ast quae primitus
Educta casside impetum citasceret.
Haec ille fecit, atque ego una interfui,
Ego servus, atque matre barbara editus.
Haec verba, stulte cum strepis, quo respicis?
Nescis, tui qui prosator patris fuit,
Pelops vetustus, em fuisse barbarum?
Tuum satorem autem Atreum sacerrumum
Fratri vorandos apposisse liberos?
Te mater autem Cressa protulit, suus
Quam deprehendit cum viro alieno pater,
Mutisque iecit pabulum natantibus.
Taline talis obiicis genus mihi?
Telamone qui sum patre prognatus, meam
Qui praemium virtutis ex exercitu
Habuit parentem concubinam: regio

E stirpe Laomedontis: eximiamque ei
Praeda olim ab omni muneravit Hercules?
Ergo optumus, duobus optumatibus
Satus dehonesto generis auctores mei,
Quos insepultos, in laboribus sitos
Istis, repellis: nec pudet iactantiae?
Sed certus esto, si virum hunc repellitis,
Omnino nos tres et simul repellitis.
Nam pro hoc mihi periclitanti, nobilem
Oppetere mortem melius est, quam pro tua
Uxore: quam pro fratre germano tuo.
Ad ista, cura non meam rem, sed tuam.
Si nóxis aliqua re mihi, ignavissumus
Fortasse malis esse, quam audacissumus.
Ch. Adesse, Ulysse, te putato temperi,
Nisi hos nevis dirimere, sed committere.
Ul. Quid est, amici? vox Atridarum procul
Super hoc valente mortuo mihi accidit.
Aga. An non, Ulysse, verba dictu infamia,
Et probra ab isto nuper exaudivimus?
Ul. Quae probra? culpam haud commeret, me iudice,
Si quis male audiendo, respondet male.
Aga. Male audiit: namque ille me affecit male.
Ul. Affecit adeon', ut tibi siet male?
Aga. Nam qui insepultum se hoc omissurum neget
Cadaver, ut non tumulet iniussu meo.
Ul. Licetne amico proloqui verum tibi
Tua haud minore, quam prius, cum gratia?
Aga. Licet. nam et esset caeteroqui iniurium:
Praecipuum amicum cum te in Argivis putem.
Ul. Audi. per ego te caelites, ne proiici
Virum insepultum hunc siris inclementius:
Nec eo usque te odii provehat licentia,
Ut omne iusque fasque prosubigas pede.
Mihi omnium ille pessume infensus fuit,
Ex quo arma Achilli lite nostra evicimus.
Sed tamen ego illum tam male animatum mihi

Non usque nauci fecerim, quin omnium
Illum virorum, post Achillem, acerrumum,
Quicunque Troiam accessimus, vocaverim.
Ut flocci et illum facere, caussae non siet.
Nám non viro illi, sed Deerum legibus
Iniurius sis. caeterum virum bonum
Incessere haud ius mortuum, licet oderis.
Ag. Haec isto, Ulysse, pro viro iurgas mihi?
Ul. Plane. sed odi, odisse cum licuit mihi.
Ag. Non et iacenti te quoque insultare fas?
Ul. Inhonesta, Atrida, lucra ne placeant tibi.
Ag. Ubique regem colere pietatem haud facul.
Ul. Scitum est, amicis gerere morem, et obsequi.
Ag. Parere oportet regibus virum bonum.
Ul. Quiesce. victus ore vicisti tuo.
Ag. Memento, quali gratiam hanc confers viro.
Ul. Fuit mihi hostis ille, sed fortis tamen.
Aga. Quid fiet, ubi sic mortuo hosti honorem habes?
Ul. Virtus movet me, quam simultates, magis.
Aga. Sunt, qui solent haec facere, vecordes viri.
Ul. At, qui boni fuere, post fiunt mali.
Aga. Tales amicos esse postules tibi?
Ul. Non laudo duram mentem, et intractabilem.
Aga. Tu nos probabis hoc die ignavissumos.
Ul. At nos tu Achivis omnibus iustissumos.
Aga. Iubetis, istud funus exequi sinam?
Ul. Iubemus. idem nam manet nos exitus.
Aga. Ut rebus homines omnibus satagunt sui.
Ul. Cuiusne potius, quam mei, sategerim?
Aga. Ita ut tuum hoc sit, non meum quicquid est rei.
Ul. Omnino. utrumvis feceris, bene feceris.
Aga. Verum mihi istud autumanti, creduas:
Vel maius isto munus attribuam tibi.
At vel sepulchro affectus, inimicus mihi
Erit iste, tu fac omne quod facto est opus.
Ch. Quicunque, Ulysse, sapere te non dixerit
Talem virum, et tantum, ille vero desipit.

Ul. At ego interim praedico Teucrum in posterum
Tantum paratum amare me, quantum oderam.
Meamque opem isti funerando conferam,
Meum laborem: nilque omittam, quod viris
Praestare cunctos addecet fortissumis.
Teu. Generose Ulysse, et omnia haec dixti bene,
Et laude, quanquam me fefellisti spei.
Nam qui huic Achivûm olim omnium inimicissumus,
Iuvisti amice solus hunc, et mortuo
Vivus iacenti noluisti illudere,
Ut ille vecors imperator, ac levis:
Ipse, inquam, et alter frater, illum proiici
Studuere lacerandum insepultum, inconditum.
Qui illos Olympi rector huius Iuppiter
Diraeque memores, atque perfica ultio,
Lacerandum uti istum proiici immerito virum
Studuere, ita omnes perduint malos male.
Sed, o propages clara Laertae senis,
Non siverim te funus hoc contingere,
Ut nequid axim mortuo huic ingratiis.
Quod potes, in aliis nos iuva. et si quem exerciti
Abducere animo est, me lubente feceris.
Ego apparatum caetera ibo. te interim
In nos fuisse memineris munem virum.
Ul. Velim quidem. at si munia ista me exequi
Tibi non amicum est, laudo consilium. vale.
Teu. Sat. tempus enim iam multum agitur.
Sed fossam pars, ite, capacem
Properate manu: pars tripes autem
Et lustralibus undis tepidum
Ponite labrum: pars una domo
Efferat intus duri insignia
Arma duelli.
Sed tu, quantum potes, alme puer,
Patrios artus mecum amplexus,
Attolle, leva. namque cruoris
Salientis adhuc tepidi tullii

Efflant. Agesis, quisquis amicus
Ades hic praesens, propera, curre:
Impende viro forti officium.
Ac nemo quidem, queis loquor, horum
Aiace fuit melior vir.
Ch. Quam multa viris licet expertis
Temere discere. sed inexpertus
Praesagus nemo futuri est.

LYCOPHRONIS CASSANDRA.

Quaecunque poscis, ultima ex origine
Plane expedibo: sed tamen prolixius
Parcas loquenti: non enim virgo, ut prius,
Secura solvit multiplex os carminum,
Sed et tumultum murmuris multi ciens,
Superstitiosa fauce bacchata est sonum,
Tenebricosae verba Sphingis aemulans:
Quorum memor mens quae mihi nunc suggerit,
Adverte Rex, putansque mente singula,
Percurre dictionum inobservabiles
Scrutans camenas, qua expedita semita
Ad planam ineptos ducit errores viam.
Ego at solutis carcerum repagulis
Verborum obibo flexuosos tramites,
Primumque pulsans oppidum, ut cursor celer.
Matuta Fagutalis arcis culmina
Citis supervolabat alis Pegasi,
Cascum maritum proxime Cernem insulam
Toro relinquens, bigenerem fratrem tuum:
Tranquillaque ocris concavi ancoralia
Nautae luebant, atque tonsilla tenus:
Puellicidam et vermigradae Salaciam
Scapis ruebant e columbariis suis
Ciconivestes pupulae Phalacriae,
Ultra Calydnas obstinentes palmulas,

Aplustreque passim, et explicata suppara,
Phrenetici Septentrionis flatibus:
At ora solvens entheis bacchatibus,
Ates ab altis pervagae bovis iugis
Cassandra dictis infit orsa talibus.
Heu heu cremata lacrymosa patria;
Primum quidem feralibus Trinoctii
Stlatis gigantis, ore quem quondam suo
Consi voravit campa manduces canis,
Qui vivus ustus excavator viscerum
Intra lebetis ignis expertes focos
Formo capronas verticis fudit solo,
Prolis peremtor, patriae pestis meae:
Matri secundae qui volanti cuspide
Detersit uber, inque Circi pulvere
Quinquertionis membra patris sustulit
Saturnium ad cacumen, ubi terra sati
Formido equorum cespes Ischeni tumet:
Salsas Triquetri qui latebras aequoris
Torve obsidentem semifeminam canem
Stinxit, rapinis imminentem piscium
Gumiam boum leaenam, adustis quam pater
Membris, lucernis corporavit igneis,
Mortam haud paventem sedis inferae deam:
Quem caute inermi fraude quondam mortuus
Extinxit, olim iam Quietali agnitum.
Heu tene rursus, ten' crematam contuor
Vetusti ab armis Aeaci, atque Tantali
Rogo sepultis intra Letrinam ossibus
Pulli igne subverbusti ad impiam dapem,
Telis bubulci Teutari volucribus.
Rivalis uxor cuncta in oras luminis,
Legans parectatum minantem patriae,
Producet efferata patriis probris,
Dirisque nuptiis peregrini tori: at
Salubrium cata unguinum incurabile
Vulnus mariti conspicata pristini

Giganticidis interempti spiculis
Ab hoste, obibit morte communi diem
Falis ab altis ad cadaver saucium
Corpus ruina cernuum in praeceps ruens:
Et tunc recentis icta amore mortui,
Iam palpitanti spiritum efflabit viro.
Duplex tuum triplexque bellum conqueror
Ad arma rursus et rapinas aedium,
Tuique te ignem contuere incendii. [*contueri?*]
Heu patria, et vos busta nati Atlantidis
Audacter urinantis olim, cum cute
Suta revinctus corpus, utre scorteo,
Et solus, ut aper quadrupes Hercynius,
Rhithymniates navit ut larus fretum,
Zerinthi hiatum virginis Canariae
Linquens, Deûmque tecta Lucumonum Saum:
Cum corruebat omnem humum Diespitris
Rapax aqualis nimbus, et putres solo
Falae fatiscentes lababant, at genus
Hominum natabat ultimo periculo.
At fagum, et almum fructum, et uvam musteam
Orcaeque tum Delphines, atque masculûm
Phocae esitabant in toris mortalium.
Adest adest fax involuta incendio
Praedam in columbae morte multandae canis,
Vultur palustris quam edidit satu suo
Testae rotundae convolutam fornice.
At hospitalis infera unda remigem
Te muricidam, nec bucerdam in patriis
Caulis prementen scrupeis adhuc manet,
Ut ante pulchritudinis trium arbitrum:
Sed pro mapalibus tu Aselli mattias,
Et Lan adibis: pro boum praesepibus,
Ovilibusque, proque rustico pedo
Vehet faselus te et Phereclii pedes
Festras gemellas, inque Gythii iuga,
Ubi ad scabrosa saxa pandatos luens

Pinus tenaces lubrici dentes freti,
Classem expedibis noviratem a iactatibus,
Et tu virosae praedo iunicis lupus
Orbae duarum iam columbarum pari,
Cassis peregrinae in secundam indaginem
Ultro incidentis aucupis pennae dolo,
Dapem ambidentum nuper in crepidine
Bacchis cremantis atque divae Albuneae,
Curres super Scandeam et arces Aegili,
Venator acer praeda opima ganniens:
Explensque amores in Draconis insula
Actae, biformis editi terra imperi,
Vanam secundo non videbis Murtiam,
Ulnarum inanem sarcinam, eque somniis
Vacua torum nocturnus explorans manu.
Nam te Phlegraeae iam maritus coniugis
Tristis Torones, abdicator risuum
Et lacrumarum, namque nescit, et caret
Utroque, qui olim littoralem ex Thracia
Fecundi opimatam Melonis fluctibus
Humum penetrans non trabe stlataria
Inhospitale sed iter, ut cubilia
Terrae in profundos talpa pertundens specus,
Quaerens recessus in cavernis aequorum,
Cavensque natos perduelles hospitum,
Et audiendas supplicans patri preces
Redux ut iret patriam, unde pervagus
Matrem gigantum adiverat Palleniam:
Tete ille Guneus quaestor urnae vindicis,
Sagacis arbiterque Solis filiae
His nuptiis privabit incilans probris,
Pellens ab omni iure prosedae lupae.
Qui nec Lyci sepulcra nec Chimaerei
Oraculorum voce venerantes timens,
Nec illecebras Anthei, nec hospitum
Dapum sodalem, filium Consi, salem,
Deûm tulisti transilire sagmina,

Mensamque calcans, ius supinans et bonum,
Fetae modum secutus ursae incicorem.
Ergo stupentes frustra tundens nervias,
Egentia et ieiuna fundens carmina:
Sed flens adibis patriam incensam prius,
Exangue spectrum baiulans ulnis tuis
Iam quinque nuptae Thyados Pleuroniae.
Satae cataces namque Carmentae mari
Iam panuclis nevere trinis, coniuges
Thalassiones quinque celebrare illius:
Duos quidem videre praedones lupos
Cate intuentes praepetes immussulos:
Plyni et Libyssae, Caricique gurgitis
E stirpe cretum semicreta barbarum,
Et vere Epeum, nec quidem Argivum satu,
Cuiusque avum quondam in molaribus suis
Hercynna Educa, quae gerit secespitam,
Fartim minutal frendicans, tumulo indidit,
Humeri vorax epulata cartilaginem:
Quem dudum adultum virbium, et cupidines
Graves caventem navium promi dei
Misit Terentus in Letrinae iugera
Ocrin paratum praeterire Molpidis
Lustrale caesi corpus imbrico Iovi.
Soceri in ruinam qui trucidavit procos
Iustis nefandis, quae Camilli filius
Paravit: ille poculo exhausto ultimo,
Cognomini sepultus est Salacia,
Suasam suis labem insipans natalibus,
Surae petillae Psyllan aurigans equum,
Picatae et Harpinnam parem ungula Strigi.
Tandem illa quartum fratrem adhuc tuebitur
Lircanei acceptoris: ille e fratribus [*Circanei?*]
Pugnae secundum acerrimae palmarium
Tulisse tunc canetur. atque in stragulis
Quintum anxiis in somniis exercitum
Iactabit atro imaginis ludibrio,

Sponsum futurum Angitiae Cytaicae
Ardentis hospitem. quem ab Oenona exulans,
Vertens in hominum membra formicas breves,
Pelasgicum Typhona produxit pater,
Septem e puellis torridis forma lice
Superstitem unum vindicatum ex ignibus.
Reciprocam ille sed remanabit viam,
Vespas suis e pumicetis exciens
Quasi puer vapore suffiens domum:
Et caeteri Burri Duellinominis
Flabris iuvencam atabulis caedent popae,
Matrem draconis incientem Scyrii:
Quam saepe coniux Salmydesium salum
Intra requirens immolatricem hospitum,
Spumifragam insulam obsidebit Candidam
Celti liquentes ad paludes gurgitis,
Amore sponsae, cerva quam volucripes
Iugulum propinans eximet secespitae.
Spaciosus intra littus appellabitur
Solus mariti cursus in crepidine
Sortem gementis atque classem coelibem,
Et non videndo membra mutatam modo
Cascam cruentum vas probe et libamina, [*prope?*]
Orcique flam[m]am exuberantem funditus
Cortinam ahenam, quam atra flabit, mortua
Cadavera elixans coquinatu improbo.
Et ille obibit eiulans campum Scythen,
Procans amoris quinque circites torum:
Illi ante acerras auguris Saturnii
Deglutientis cum parente filios
Secunda iurantis fidusta sagmina,
Tonsarum amicient remiges stropis manus,
Bacchumque sospitem et prioris vindicem
Luctus canentes, cui in obscuris cavis
Delphorum operta ad antra Lucrini dei
Abstrusa liba Tauriformi offeret
Classis tremendae millepraetor navium.

Cui gratiam sacri novam redandruans
Nefrondinosus Esquilinus Lucius,
Leoni adempto prandio, implicans rubis,
Segetem vetabit eruisse funditus
Vasto molari matriisque querqueris.
Cerno sequacem iam napuram luctuum
Mari trahentem et conserentem patriae
Minas feroces et malorum incendia.
Atque utinam in Issa te Camillus insula
Non procreasset hostium nostrum ducem,
Quartum satum ex Atlante destina covi,
Tuis parantem damna cognatis Prylin,
Sagax aruspex vere ad omnia optima:
Paterque iussis Aesaci fanatici
Non improbasset signa noctis arcula,
Celasset uno sed duos pro patria
Fato, perurens membra Lemnio rogo.
Non tot malorum nunc procella surgeret.
Portumnus en cernet nefrendum carnifex
Fervere mergis spartisirpeis anum
Glauci Terenti coniugem Titaniam.
Iam duo necantur cum parente pignera,
Humeros molari coclaca fracto Ducis:
Quae sabulonis apparata fugerant
Vanis loquelis alvei discrimina,
Cui cuncta credens ille tortor liberûm,
Mergorum alumnus, pisculentae compedis
Praeda, ostreis valgisque Naritis comes,
Fetus gemellos clusit uno ploxeno.
Cumque his miser non matris advertens deae
Praecepta Mnamon, sed veterno oblivius,
Suppus recumbet, pectus ense saucius.
Nunc nunc gemit Myrina, nunc praesentiunt
Hinnitum equorum littorales margines,
Ubi Pelasgum lubricae saltum pedae
Librans crepidine ultima fremens lupus
Fontis creabit e saburra gurgitem,

Olim recludens ociosa flumina.
Iam culta vastat arva Mars Salisubsulus,
Reciproco cruenta signa murice
Edens: palam omnis vasta tellus nunc iacet,
Horretque crebris ut seges novalium
Sicilicibus corusca: luctuum mihi
Pinnis imago aures ab altis personat,
Covi serescens omne pervolgans fretum
A feminarum voce, scissis vestibus
Luctus sequaces mutuo capientium.
Sed illud illud te o cor infelix malum
Illud lacesset omnibus crudelius,
Ubi fremiscens celibari caesius
Versam rapax sanqualis inscribens humum,
Urvoque lirans orbitam anfractu viae
Bubulcus imporcitor ampli iugeri
Horrendum acutis ore clangorem ciens, [*acutus?*]
Fratrum tuorum filium carissimum
Ptoi parentis ex humo susum auferens,
Artus cruentans ungue et immani gena,
Tifata patria tabo et arva polluet,
Et libripens trionis occisi stipem
Ferens aginae examinatam lancibus,
Et rursus aequipondium redhostiens
Rodi micantis in statera auraria,
Bacchi iacebit funeratus amphora,
Fletusque Nymphis inquilinis Bephyri
Superque Pimpleam petrae Libethriae,
Cadaverum propola, qui fatum tremens
Effeminatam corpori pallam induet,
Insilia tractans staminumque insubulos:
Tanget supremus vinciam hostilem pede,
Te, frater, unum vel pavens in somniis.
Qualem heu rues, Fortuna luctantem domus,
Patriae caducae subtrahens tibicinem.
Non absque lacrymis atque lesso riserit
Impune latro Doriensum exercitus

Vitulans ovanter morte confecti viri:
Sed circa puppes ultimo aucto spiritus
Excurso, amaris ignibus cremabitur,
Iovem Fugalem plurima incalans prece
Amara fata concremato avertere.
Nec agger, aut navale propugnaculum,
Nec crebrisurus pluteus atque scansilis,
Non iuverit lorica, non pinnarum opus,
Sed fumo ut axe conglobatae apiculae,
Vaporis aura, torriumque verbere,
E puppe rostrisque atque rostrorum foris
Crebri petauristae et sedilibus suis
Saltu peregrinam cruentabunt humum.
Procosque multos Graeciae palmarium
Hasta ferentes, inclutos prosapia,
Tuae feroces morte mactabunt manus
Tabo cruentae, amore belli asperrimae.
Sed ipsa luctum non minorem perferam,
Tuo per omne maesta tempus funere.
Nam dira mi illa dira lucescet dies,
Gravissimusque luctuum, anni quo senes
Circum rotantes Noctilucae viderint.
Heu heu gemendus et mihi flos est tuus,
O pulle, dulcis heu parentum sarcina,
Amore saevum qui draconem saucians
Et illice igni, sauciumque compede
Grata coercens tempus ingratum breve,
A saucio non ipse saucius tamen,
Truncatus aram tu cruentabis patris.
Heu me misellam, et par benignum virginum,
Tuumque bruta conqueror fatum canis:
Quarum sororem terra nutrix alteram
Hiulca devorabit infero specu
Adulta proxime intuentem incommoda,
Qua late avitus lucus et bustum lupae
Iacet sepultae adulterae cum filio.
Priusquam opem mulgeret infans lacteam,

Et obstetricis rore corpus tingeret.
Sed cruda te ad sponsalia et connubii
Sacra admovebit durus Iphidis leo,
Atrae parentis aemulatus februa.
Namque in capacis ventre mactans naviae
Bovem infulatam draco cupencus impius,
Iugulae tripatris caedet hanc clunaculo,
Priora confedusta dans hirpis sacra.
At mancupatam te in supino littore
Thracum lapitam funditorum iactibus
Conviciosis percitorvia iniuriis
Abscondet imber saxeus manualium,
Pulla hirriente membra mutatam cane.
Ast ad bidental Anxuri domestici
Ornabit albis antiis crepidinem
Sororis olim lutea calantica
Redemtus, ustam cum rediret patriam,
Vetus tenebris nomen obruens suum:
Ubi rupex hirtipilus ignes indices
Terrae parentis indicator perfidus
Lucens, caballum gente praegnantem hostica
Pertundet, altas ventris impages trahens:
Et Sisypheae volpis astutus cato
Lucebit ardens triste lucubrum nepos
Leucophryn atra nocte navigantibus,
Infanticidae et insulas duas boae.
Ast ipsa abhorrens pronubas taedas ego
In aedis atrae scrupeis conclavibus
Tecto carentis et lacunari domus
Tenebricoso membra mergens carcere,
Ptoumque Semonemque Vortumnum Deum
Fugans amore captum ab innupto toro,
Tanquam potis signata perpetim fore
Summae ad senectae tempus, innubae aemulo
Ritu Minervae Carneae Feretriae,
Ad volturis columba tunc raptim torum
Exanguis ales ungue picato trahar,

Clangore multo Acredulam Budetiam
Calans rapinae nuptialis vindicem.
Ast illa signis aspero palatio
Pupas coruscans caelitus minabitur,
Lapsa ex falanto patrii solo Iovis,
Avo imperanti nobilis possessio.
Unius ob noxam orba mille liberûm
Tumulos inanes conqueretur Graecia
Non in sepulcris, sed maris fundo sitos,
Rogi supremum non tegentes pulverem
Urnis latentem, ut iusta denicalia:
Sed triste nomen, atque cespitum notas
Parentum amicis irrigatas fletibus
Et liberorum lacrumis et coniugum.
Ophelta, tuque rupium custos Zarax,
Petraeque, tu Trychata, tuque asper Nedon,
Et saxa Dirphossi omnia et Diacriûm
Specus hiantes atque Phorcynis iuga,
Quot fluctuantum nenias cadaverum
Cum dissipatis audietis puppibus:
Quantum tumultum murmurum infraenabili
Reciprocantem vorticum spumas salo:
Quot deinde thunnos saucii compagibus
Ad saxa fractis verticis, quos caelitus
Noctu rubentes manubiae obstitos prement,
Ubi flore iam vertiginosis Liberi
Lucebit indicem tenebrarum facem
Ultor nocenti pervigil curae studens.
At hunc ut amburvantem aquis alcedinem
Per saxa iniqua velitem fluctus feret
Actum procellis inter aras duplices.
Gyrisque siccans in petris alas mari
Multo madentes, alterum mare hauriet
Perpessus ictus a tridente fuscina,
Qua ultor illum vulnerans operarius
Cum orcis adiget habere communem fugam,
Vano cucullum blattientem pipulo.

At luridum cadaver expulsum foras
Delphini aprica concoquet Canicula,
Passumque in algis inque musco putridum
Miserata condet una Nesaeae soror,
Opitula abadir maximi Cynaethei.
Bustumque proximum coturnici aliti
Tremens, cavebit murmur Aegaei sali.
Tunc illa Castniam et Melinaeam deam
Proscindit audax Uragi in palatio,
Quae laciet illum rete inextricabili
Furore nec furore verum Erinnyum,
Tendens amaram compedem fatitraham
Omnisque moestum Graecia eiulabitur,
Quamcunque Araethus intus atque inhospitae
Fauces coercent Dotii Libethriae:
Quibus meae vel ad paludis inferae
Ripam diu sunt lacrumandae nuptiae.
Nam plurimarum ventre funerabitur
Serratidentum fauce camparum abditum
Examen ingens, hospitesque in hospite
Terra subibunt busta cognatis procul.
Nam ripa quendam Strymonis Bisaltia
Absinthiorum proxima atque Bistonum
Vesticipis altorem optimum Edonos prope
Teget prius, Tymphresta quam cernat iuga,
Suo parenti plurimum invisum omnium,
Qui fecit illum caecilium, oculos forans,
Cubile spurium quando inivit pellicis.
Tres Cercaphi spelunca casnares teget
Olim sepulcro non ab Alenta procul:
Molossi olorem praescium Insinui Cubi,
Scrofae incientis nescientem delicos,
Cum caprifici lite compellans cata
Vatem aemulum, ipse falsus ex oraculo
Somnum Teniris praestitutum dormiet:
Quartumque magni liberorum Diiovis,
Fratrem dolosi Aethonis in fictis notis:

Et tertium ligone Thebarum falas
Aheneo demolientis filium,
Quem Strebulus olim Consus agili discidit
Pilumnus ora dissipans sudaculo,
Quando creatae Nocte germanos patris
Ad unum amorem mutuae armarunt necis.
Duo at scatentis ad fluenta Pyrami
Deraeni ovantes vortagi icti mutua
Depraeliabunt caede barritum ultimum
Subtele in ipso virginis Pamphyliae.
Altusque rumo sulcus in meditullio
Stabit Megarsus cespitum nitentium,
Ut ne in profundis infertûm sedilibus
Imbuta cernant busta caedibus sua.
At quinque dehinc Cerastiam in Vespariam
Et bitientes Satrachum et Silvani humum,
Iuxta manebunt Murtiam Zerinthiam.
Unus parentis exulans conviciis
Cychrei cavernis Bocarique flumine,
Meus sobrinus, ut peremtor patrii
Pulli, nothum propagmen et labes domus,
Rabiem vomentis bellicosam ovilibus,
Ravi leonis quem pilis horrens cutis
Runis tegebat aeneis impervium,
Obnoxiam unam possidentem semitam
Ad fata, quam vagina celabat Scythae,
Cum durus adolens sacra Comyro leo
Suo parenti fatus est claras preces,
Immussuli ulnis subrumum gestans suis.
Nec ipse credat hoc parens, quod Lemnium
Fulmen duelli, nescius turpis fugae
Trio efferatus hospitum infensissimi
Traiecit ile munere, urinans ferum
Saltum tepentis ensis ad promtam necem:
Fratremque Trambeli ille patria exigit,
Cognata patris quem parit nixu suo
Donata praeda dirutori moenium,

Quam pro frequenti civium comitio
Ferale glauco prandium suasit cani
Misisse linguax virginum trium pater
Omnem marino terram inundanti luto,
Siquando fluctus expuisset faucibus
Sorbens procellis omne decumanis solum,
Nepam sed ille fauce pro pupa vorans,
Partus maligni questus est onus grave.
Venator adiens at secundus insulam
Ut expedite consulat malis suis,
Indigena socius epulo liberis Virae,
Priscis Lupercis atque Nyctimi coquis
Lunam ante natis, filiam glandis dapem,
Torrere suetis in calentibus focis,
Eviscerabit, et medullitus trahet
Ligone glebas, omne vestigans specum.
Cuius necavit bronchus Oetaeus patrem,
Ad verticillas ilis artus lancinans.
Adagionem hunc sensit accepto malo,
Quod plurima inter poculum et labrum solet
Vertisse fatum res agens mortalium.
Et tabe manans ora spumanti, occidens
Solocisetus imminentem ulciscitur,
Salii coercens incito statu volam.
At tertius tollentis ex cava petra
Natus neronis arma, cuius in torum
Idea iunix sponte conscendet sua,
Quae viva Averni obibit umbras, questubus
Et lacrumis confecta Muniti parens,
Quem torta Crestonae anguis in venatibus
Necabit, acrem cuspidem infligens pedae,
Ubi parentis collocabit in manus
Captiva patris avia furtivo satum
Amore pullum, cui iugum solae hosticum
Iecere servitutis Actaei lupi
Hostimen, atque Bacchae ademtae gratiam,
Quorum rotundae testulae caesus tholus,

Munimen ictus hostici, caput teget.
Intacta vermiculata claxendix domos
Servabit alias, incolis stupenda res:
Quod templa ad alta siderumque subices
Ducet duos Lapersios medioxumos,
Quos nunquam in orbem Iuppiter sospes meum
Duxis bipraedem liberaturos subim:
Nec vel celoces instruentes classium,
E puppe summa nudipes vestigium
Hostes vetusto Bebrycum infigant solo:
Neque hos leones anteuntes viribus,
Duri duello, quosque Mavors armiger,
Quos Nerienes, Capta quos amat dea
Boum iuga, et Curitis Homolois dea.
Haec quae cluentes arte fabrica duo,
Querquetulanus, Consus et Cromnae imperans,
Struxere quondam peieranti principi,
Crudis diem unum vix lupis suffecerint
Vim fulminantis impetus depellere,
Quamvis in arcibus Canastraeum gravem
Giganta, constans hostium repagulum,
Habentia, atque certa primum verbera
Vibrare promtum lancinatori gregis,
Et cuius iras primus accendet graves
Acceptor acer, lubricum saltum citans,
Flos ipse Graiûm, cui Dolongorum elegans
Olim sepulcrum ripa defuncto parat
Rumona cornu prominens peninsulae.
Accedet insperatus[,] accedet tamen
Nobis amicus sospes unus, Drymnius
Deus Promantheus Aethiops Gyrapsius,
Qui bitientem quando Mutunum atriis
Nocentem amare pestis admittent reum,
Et quos acerba, quosque rerum asperrima
Manent, dape atque inferio libamine
Mactare conabuntur immitem Crepum.
Gravem tumultum ponet in convivio.

Primumque amara voce sese mordicus
Frendent, frementes improbis gannitibus:
Tandemque cernent patrueles praelio,
Ut consobrinis nuptiarum averterent
Pusis rapinas, furta patruelium,
Sponsaliorum propter immunem vicem.
At tela certe multa Cnecei alveus
Vibrata nisu vulturum intuebitur,
Res mira Pheraeis et auditu aspera.
Hic namque corno stipitem pullae cavum
Fagi retundens, opprimet duum alterum,
Tauro leonem conserentem praelium:
Alter sibynna dissipans tauri latus,
Affliget hunc solo: hunc secundo verbere
Reciprocabit ut coniscans arvigus,
Cippum caducum busti Amyclaei ruens.
Simulque ferrum fulgurumque vortices
Fortes patales hostient, quorum unius
Non vel Sciastes Orchieus Telphusius
Manum improbarit, quando cornu tenderet.
Summanus hos Dis, hosque coeli fornices
Grata dierum semper excipient vice,
Fratres amicos, compotes vitae et necis.
Illorum at arma sopiet nobis Deus,
Parvum levamen in malis hoc largiens:
Multorum et ingens agmen excibit manu,
Quos Rhoeae alumnus non tenebit, spiritus
Mulcens, novenum tempus in magna insula
Manere nexos imperans oraculis,
Tres multa cunctis virgines alebria
Praebere mandans, qui cacumen Cynthium
Errore pervagantur Inopum prope.
Aegyptias Melonis electantem aquas.
Progerminator quas petulcus erudit
Adorearum rite pilumnas' opum
Vinumque facere vel nitores unguinum,
Neptes Zarecis vinitorculas aves:

Quae saepe solabuntur hospitum canum
Famem furentem exercitus, cum venerint
Sithonis uda ad filiae cubilia.
Atque aenearum panuclarum stamine
Olim librarunt ista virgines anus.
Caephasque tum Praxander, ullis navibus
Non imperantes, plebis obscurum genus,
Et quinque quarti post petent terram deae
Golgos tenentis, hic Lacona exercitum
Ductans Therapnis, alter autem ab Oleno
Dymeque Buraei imperato[r] agminis.
At Argyrippam, Dauniorum haeredium,
Ad Ausoniten excitabit Phylamum,
Aves sodales membra plumantes videns
Fatis amaris, qui natatum aquatilem
Degent in alto, more piscantum, mari,
Similes figura caesiis oloribus:
Rostrisque spumas aucupantes piscium,
Ducis tenebunt insulam cognominem,
Theatriformis inque clitellis iugi
Vicos secantes perque distinctas vias
Iunctis tabernis, quo prius Zethus modo:
Simulque pastus et simul cubilia
Noctu rebitent, gentis omnem barbarae
Coetum caventes, inque Graecorum peplis
Cognati amantes ocium cicur sinus:
Manuque ab insipante pultem prandii
Offam polentae blandum adulantes edent,
Vitae prioris non adhuc oblivii.
Verum Liburnae vulnus, erroris vagi
Erit minaciumque causa luctuum,
Procax virosa cum catulliet lupa
Asilo amoris, et bidental Nortiae
Defendet ipsum, victimam novi sacri.
Colossicusque in Ausonum pomoeriis
Stans, fabra sistet membra saxeo super
Campsoris Architectonis statumine,

Saxis, saburra navis, eductis foras:
Arbitrioque fratris Alaeni obrutus,
Veras preces precabitur novalibus,
Seiae nec aguas unquam adoreas dare,
Aquis opimante arva substillis Iove,
Ni forte quidam Aetolus urgens stirpitus
Proscindat arva, sulcum arans trionibus.
Cippisque late cinget immotis humum,
Quos glorietur nemo vi mortalium
Statu movere posse. nam cita fuga
Ipsi reciprocam redibunt semitam,
Gradu prementes nec gradu littus sali.
Deusque multis indiges vocabitur,
Quicunque brutum littus Ionis tenent,
Caeso dracone noxio Phaeacibus.
Gymnasiisque retrogradi circumfluis
Renonivestes applicantes, indigum
Victum iuvabunt invicem orbi vestibus,
Fundis bicaudis membra defensi tribus:
Ubi rudimen verberantis eminus
Artis puellos mater impransos docet.
Nam nemo panem dentibus frendet prius,
Quam capsit illum pendulum certo lapi,
Super tigillo destinati ictus notam,
Iniqua scrupis et recedent littora
Hispana, Tartessi fretum tangentia.
Arnae vetus propago, Temmicum duces,
Graiam expetentes et Leontarnes iuga,
Scolumque, tum Tengyram, Onchesti solum.
Fluenta Thermodontis, Hypsarnique aquas.
In Syrtin alios et Libystica aequora,
Et brevia, et Infernalis aequoris vada, [*Infernatis?*]
Et semipiscis gurgites navifragos
Olim interemptae vestipellis dextera
Sangi Bubulci Fovii Stercutii,
Inque alta saxa virginum volucrium
Dispalitantes, lancinatos cruditus,

Opacus omnes Tellumo venabitur,
Multis ruinis obrutos ex mortuis
Uno relicto nuncio sodalibus,
Delphinisigne, fure Punicae deae.
Qui vasta ravi coclitis magalia
Videbit, aheno maximo calpar meri
Manu propinans, poculum bellarium:
Videbit, et quae liquerat cadavera
Praestanus Averruncus armorum cluens,
Qui rutro adunco runcinantes omnia,
Nectent foratam reste praedam mugilum.
Atque alius alium saevus excipiet labor
Labore semper pristino ferocior.
Quae non Charybdis mortuorum explebitur,
Quae non Erinnys, semivirgo bestia,
Quae non Camena, carnifex bimembrium,
Aetolis aut Curetis, artus liquier
Suadebit aura flexanima immemores cibi:
Vel quam ferarum non fabram intuebitur,
Atrox venenum farre miscentem excetram,
Fatumque monstriforme. sed miserrimi
Sortem gementes atque palantes paris
Miscella semper cum polenta floccium
Acina, fracesque devorabunt: ast eum
Herba atque Manus vindicabit obvius
Nonacriates Vinulus Triceps deus,
Et mortuorum regna descendet cava,
Atque inferum rogabit apricum augurem,
Coitus virorum et feminarum conscium,
Umbris hianti sanguinem obsipans solo:
Ensisque trux munimen, inferis metum,
Vibrans, trementum murmur umbrarum audiet
Gracile caduca succrotilla fabula,
Atque hinc Gigantum quae lacertos insula
Confregit, et Typhonis artus querqueri.
Adusta flam[m]is cum mera excipiet rate:
Qua rex deorum informe clunarum genus

In risum eorum transtulit coloniam,
Qui praelium movere Saturno satis.
Baii magistri postmodo bustum, casas
Post praeteribit Cimmerum, et Plutonium
Aquae procellis fluctuantem gurgitem,
Ossan, boumque Viriati semitas
Stratas, nemusque Liberae pusae inferae,
Candensque flam[m]is flumen, atque ubi aetheri
Tollit cacumen ampla procapes iugi,
Ex quo fluenta cuncta, cuncti funditus
Fontes per arva dissipantur Itala:
Linquensque Lethaeonis alta culmina,
Lacumque Avernum, quem labro ambit circite,
Et flumen atra nocte Cocyti obrutum.
Stygis nigrantis gurgitem, qua Terminus
Iuranda posuit iura supremis deis,
Ire in Gigantes atque Titanos parans:
Libamen haustrisque aureis antlans aquae,
Orcae dicabit et viro donarium,
Silam columnae vertici appendens suam:
Et tres necabit filii Salaciae
Pupas, camenae matris aemulans soni,
Iactu insolenti praecipes e culmine
Pinnis caducas aequor in Tyrrhenicum,
Quacunque amari iura staminis trahent.
Unam Phaleri turris eiectam foras
Glanisque capiet, flumine irrorans humum:
Qua pusae acerram construentes incolae,
Vitulatuum strepente Parthenopen sono
Solennia deam iubilabunt alitem.
At littus extans in Veniliae deae
Se corruens, cognominem Leucosia
Petram tenebit, qua fluens Is et ferox
Fluenta pingui Laris eructat solo.
Ligea agetur in Terenam fluctuans,
Sulcans procellae murmur: illam navitae
Linquent sepultam littorali cespite,

Aquis propinquam garrulis Ocinari.
Illam lavabit Corniger so gurgite,
Volucrimembris busta februans aqua.
Primae sorores ante cognatas deae
Classis vetustus imperator Atticae
Certamen ardens lampadum nautis aget,
Iussis deorum, plebs quod augebit dehinc
Neapolitis, quae prope undantem sinum
Portus Miseni scrupeas ripas colet,
Claudensque Coros scorteo sinu bovis,
Et rursus actus casibus reciprocis,
Flagri trisulci verbere ustulabitur
Larus quiescens caprifici frondibus,
Ne gurges illum fluctibus deglutiat,
Imo Charybdin fundo anhelantem trahens.
Nec sat refectus nuptiis Atlantidis,
Rudem scrilibusque sirpatum alveum
Intrabit audax, atque moderator reget
Ad media combae caudicariam trabem
Sutam infabre compage subscudum rudi
A qua acer Ambarvalis expellens deus,
Implume quale pignus orbae alcedinis,
Ipsis ageis et foris simul, vagis
Merget procellis impeditum copulis.
Pontique inerrans pervigil cubilibus,
Anthedonio erit contubernalis deo:
Sic alius alium ventus excipiens, facis
Instar, rotabit suberem, agitans spiritu:
Vix et procellas verticesque Albuneae
Defendet illi supparum, arma pectoris
Manuumque queis et ipse carnifices petras
Prendens, acutis membra lancinabitur
Scrupis: ad invisamque Saturno insulam,
Laniam profectus seculam nefrondinum
Nudusque egensque garrulus tenebrio
Ficti latrabit fabulam infortunii,
Pendens acerbas coclitis monstri preces.

Non hic veternas dormientem coepiat
Oblivionis Equirium Melanthium.
Namque ibit ibit nauticum ad Rithri sinum,
Et Neriti cacumen: intuebitur
Vastos penates susque deque funditus
Lux[u] procorum turpium. at scrapta improba
Speciose adulterata corrodet domum,
Luxu miselli absentis effundens opes.
Atque ipse ibidem plura quam in Scaeis mala
Videns famelicosus, a domesticis
Minas toroso tetricas dorso pati
Sannis repressus discet, et pavirier
Pugnis iniquis, frivolûmque iactibus.
Nec insueta flagra sunt: uberrima
Vibix manet Thoantis in tergis adhuc
Lentis betulis sculpta, quae trico nocens
Siccis genis infligere exhortabitur,
Gratam libenter corpori insculpens notam
Ut nescios illectet oculatis malis
Hostes, querelis principem inducens senem:
Quem Bombylea vallis, et Temmicia
Infame nobis terra produxit malum,
Servatus unus navitarum in patriam.
Postremo qualis larus angarius maris,
Salsaque murex corpus unda exercitus,
Exhausta luxu Proniensium bona
Olim a Lacaena putida offendens lupa,
Portu relicto passus occidet senex
Corvus sub armis Neriti lucos prope:
Quem latere fosso cuspis incurabilis
Piscis necabit aculeo Sardonii.
Natusque patris carnifex vocabitur,
Achillis ille consobrinus coniugis.
Post funus augurem Eurytan populus colet,
Et qui cubile Tramphyae celsum tenet:
In qua necabit Herculem rursus draco
Tymphaeus in convivio, rex Aethicum,

Trahentem ab Aeaco atque Perseo genus,
A Temeneis non procul natalibus.
Sed mortuum illum Perga mons Tyrrhenius
In Gortynaeo condet ustrinae situm:
Cum lacrumanter occidet propter malum
Natique coniugisque, quam frater necans
Orcum secundus postuma via petet,
Caesus sororis ense funesto gulam,
Glauconis Absyrtique sobrinae improbae.
Hic tot ruinis totque cumulatus malis,
Secundo adibit Ditem inexorabilem,
Cui nullus unquam sudus arrisit dies.
O quam tibi praestabat esse in patria,
Miselle, tauros vel colonum rustico
Iugare asellum sub coho cantherium,
Fictis furoris insolescenti dolis,
Quam tot subire luctuum discrimina.
At anxius vir coniugem raptam expetens.
Et augurales ominum audiens notas,
Amore spectri pervagantis aethera
Quae non marina templa perscrutabitur,
